MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81175-12

AUTHOR:

POTTHAST, FRANZ

TITLE:

DE EURIPIDIS HERACLIDIS ...

PLACE:

MONASTERII

DATE:

1872

Master Negative #

93-81175-12

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88EO
EZ Potthast, Franz.
De Euripidis Heraclidis ... Monasterii, ex typographia Coppenrathiana, 1872.
39 p. 22 cm.

Thesis. Münster. 1872
Volume of pamphlets
D88ED ~~Copy in Classics Reading Room.~~
~~Z8~~
~~v.1~~

14778

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3.18.93 INITIALS Susan
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Botth 13-

DE
EURIPIDIS HERACLIDIS.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE II. MENSIS IULII A. MDCCCLXXII

IN PUBLICO DEFENDET

FRANCISCUS POTTHAST

GUESTFALUS.

MONASTERII.
EX TYPOGRAPHIA COPPENRATHIANA.
MDCCCLXXII.

LIBERO BARONI

HERMANNO DE BRENKEN

VIRO HUMANISSIMO PRAESTANTISSIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

S. E. V.

SCRIPTOR.

Praefatio.

Heraclidarum fabula Euripidea quot difficultatibus laboret, non est quod moneam. Quarum quum nonnullis expediendis viri doctissimi Hartungius, Firnhaberus, Pflugkius, Bernhardyus, Schlegelius, Boeckhius,[1] alii felicissimam medicinam adhibuisse videantur, de aliis autem cum illis viris consentire nequeam, non magnopere vereor, ne si haec meo quoque iudicio subiecero, meamque coner de his rebus explicare sententiam, aut in temeritatis incidam invidiam aut plane supervacaneum laborem suscepisse existimer.

Totius autem commentationis dispositio erit haec, ut primo loco de fabulae argumento disseram, deinde tempus, quo Euripides docuerit fabulam, investigem, denique de fabulae arte agam.

---

[1]) Cfr. Hartung., Eurip. restit. I. p. 304—313. Firnhaberus, commentatio de tempore, quo Heraclidas et composuisse et docuisse Euripides videatur et de nova eam tragoediam interpretandi ratione inde repetenda, progr. Wiesbaden 1846; Pflugkius, praef. Her.; Bernhardyus, Grundr. d. gr. Litt. II, p. 427. Schlegelius, Vorlesungen üb. dram. Kunst u. Litt. I. p. 260. Boeckh., de gr. trag. princ. p. 190.

Caput primum.

De fabulae argumento.

§. 1.

Fabulae actio exponitur et describitur.

Πρόλογος. Iolaus, Herculis quondam comes et laborum socius, prologi partes tenet. Idem conspicitur cum Herculis filiis ad aram Iovis Forensis (Ἀγοραίου Διός) sedens. Alcmena avia femineam prolem, cuius curam in se recepit, in templi penetralibus tegens fingitur. Hyllus natuque maiores fratres absunt, ubi hinc fortasse expulsis novum quaerere liceat perfugium circumspicientes. Iolaus suam ipsius et Heraclidarum sortem exponit. Defuncto enim Hercule, ait, se omnes nisi fuga mortem non effugisse; quin etiam Eurystheum acerrimum hostem eo processisse superbiae, ut ne perfugium quidem usquam Heraclidis concederet, sed ut praecones mitteret, qui, quocunque illos confugisse comperissent, eosdem deposcerent bellum minitando populi Argivorum potentissimi, si qui iis auxiliari vellent. Quibus Eurysthei minis undique et nuper a Trachiniis reiectos se Marathonem vicinamque in regionem, ad fines pervenisse Athenarum, fretos cognatione et amicitia, qua Theseus Herculesque coniuncti fuissent. Iolaus, dum illa narrat, advenientem videt praeconem istum ad persequendos Heraclidas missum, quo conspecto pueri ad senis vestes se applicant. Quos praeco ad iustas lapidationis poenas luendas Argos abire jubet atque ab ara et e manibus senis quantumvis repugnantis et in repugnando labentis abstrahere conatur. Tum vero Iolaus Atheniensium auxilium ad propulsandam vim atque iniuriam implorat (cf. v. 1—73 [1]).

Πάροδος. Chorus civium Atheniensium orchestram intrat et, quae sit causa clamoris, unde illuc venerit peregrinus, a quo genere liberi

[1]) Numeri sunt editionis Nauckianae, Lips. 1866.

orti sint, alternis Iolai verbis edoctus praeconi se opponit eumque admonet, ne deorum sedis, ad quam Heraclidae confugerint supplices religionem violet. Qui, quum colloquium cum choro sibi inane fore videret, rem de abigendis Heraclidis ad Demophontem regem deferendam esse significat. Tum choragus Demophontem et Acamantem fratrem appropinquantes nuntiat (cf. v. 73—120).

Ἐπεισόδιον πρῶτον. Clamore tumultuque excitati Demophon ipse cum Acamante fratre intervenit. Iam apud illum iudicis munere quodam modo fungentem contentio fit certantium. Praeconis oratio primum versatur in iure exponendo, quod habeat Argivorum rex Argivos Argivis legibus capitis damnatos reposcens (cf. v. 136—144), deinde in enarranda ceterarum civitatum ad eiiciendos Heraclidas proclivitate (cf. v. 144—147), tum in accusanda profugorum temeritate, quos Athenas venisse insimulat sive fortuna secunda sive spe enixos, regem totius Graeciae solum adeo dementem fore, ut opem ipsis denegare non auderet (cf. v. 147—153), tum in utilitatis ratione praedicanda, quandoquidem Argivorum amicitia Heraclidarum multo praestaret (cf. v. 153—158), denique in bello minitando, quod propter Iolaum et Heraclidas susceptum regi apud cives dedecori esset (cf. v. 158—169). In sequentibus versibus (cf. v. 169—179) Argivorum societati commoda e foedere cum Heraclidis faciendo fortasse emanatura opponit eademque in incertum revocare studet. Interpositis chori verbis, prius alteram quoque partem esse audiendam, quam quid censeat proferat iudex, Iolaus praeconis sermones retundit. Primum laudat illam Atheniensium ἰσηγορίαν (cf. v. 181—184), deinde Heraclidis ab Argivis expulsis nihil iam esse cum illorum praecone demonstrat nec postulari posse, ut, qui Argis eiectus sit, totam idem Graeciam fugiat (cf. v. 184—191). A laude Atheniensium, quorum iustitiae atque ingenuitati auxilium ipsis denegare non conveniat, oratio se vertit ad regem, quem propter cognationem coniunctissimamque necessitudinem patrum et beneficia ab Hercule in Theseum collata non passurum esse, profugos turpi vi huc arripi, Iolaus persuasum habet (cf. v. 205—225). Quare regem obtestatur, ut Heraclidas tueatur iisque consulat cognatus, amicus, frater, dominus. Quibus Iolai precibus chorus adstipulatur. Rex autem omnia, quae protulit senex, comprobans: praeco, ait, quod sibi ipse proposuerit, ad Eurystheum deferat; ceterum, si qua illi facta sit ab Heraclidis iniuria, ei se negat ius recusaturum esse. At praeco, tantum abest, ut ab incepto resistat, ut regis voluntatem immutare conetur plurimaque repetat in diverbio maxima cum insolentia. Quin

etiam eo procedit audaciae, ut supplicibus denuo manus imponat. — Qua re exacerbatus Demophon praeconi vim attulisset, nisi chorus eum retinuisset iussissetque videre, ne legatorum iura laederet. Praeco autem, priusquam abit, mox se magno cum exercitu, qui in Megarae Atticaeque confiniis consedeat, rediturum esse gravissime minatur. His de minis securus Demophon a consilio suo se destiturum non esse Athenasque se habere non Argivis subditas, sed liberas affirmat. Chorus autem regem admonet, ut, quae providenda sint, ea diligentissime paret, praesertim quum Argivorum Mars haud contemnendus, fide veritatis a praecone non servata, acrior futurus sit. Iam Iolaus orationem redintegrans nobilitatis laudes celebrat et supplices accedere et fide data acceptaque iubet promittere, se semper Atheniensibus amicos fore neque unquam iis bellum illaturos esse. Atheniensium laudibus a choro intersertis, Demophon ipse, postquam Heraclidas adhortatus est, ut, quae promiserint, teneant, a scena discedit omnia, quae ad defendendam patriam opus sunt, facturus. Iolaus autem et Heraclidae ad aram supplices resident deorum auxilium implorandi causa (cf. v. 225—353).

Στάσιμον πρῶτον. Chorus repetit, quae sibi sint causae, cur praeconis postulata reiecerit; superbis se eius minis non moveri, ut supplices prodat, quum Athenae Argis inferiores non sint. Eurystheum autem eiusque praeconem, quippe qui neglectis deorum iuribus supplices profugos deposcant, superbos et amentes significat. Se quidem pacem velle; sed sibi quoque hastas et clipeos esse ad sustinendam hostium vim. Itaque illi pugnam omittant et iram contineant (cf. v. 353—381).

Ἐπεισόδιον δεύτερον. Reversus Demophon Iolao, qui, quid curae e vultu regis eminentes sibi velint, interrogat, Argivorum regem cum exercitu adventare castrisque in locis editis collocatis, quo signa inferat, speculari renuntiat. Urbem esse in armis, hostias ad immolandum paratas, oracula explorata, quae in multis licet diversa in uno tamen consentire, virginem quandam nobili genere ortam Cereris filiae esse immolandam. Neque vero a se ipso neque a civibus talem victimam postulari posse. Itaque quum discidium intestinum iam in eo sit, ut erumpat, Iolaus circumspiciat, si quid inveniat, quo se metu, periculo rempublicam liberet, rex feliciter ex toto negotio emergat, exeantque Heraclidae salvi. Rebus ita mutatis, chorus deum reipublicae voluntati officere aegre fert, neque Iolaus habet, quo se convertat deorum iniquitate oppressus. Sperat tamen, fore, ut Heraclidae, si semetipsum hostibus tradiderit, ex periculo serventur. Sed rex Euristheum non tam senis, quam Heraclidarum morte placari declarat aliamque

salutis viam circumspici iubet. Quo modo fit, ut supplicum angustiae ad summum gradum promoveantur. Hoc ipso temporis momento Macaria, Herculis filiarum natu maxima, in scenam prodit et audita rerum implicatione voluntariam mortem subire parata est. Tantam animi magnitudinem et generositatem quin summis prosequantur laudibus, neque chorus neque Iolaus facere possunt. Verumtamen Iolaus sorti arbitrium committi iubet, quae ex Herculis filiis morti se tradat. Honesta igitur certatione facta, Macaria repudiat mortem sorte designatam, voluntariam autem pro suis libenter subitura est. Hoc unum ab Iolao petit, ut sacrificio adsit neve virorum manibus corpus tangi sinat. Quo promisso a Demophonte accepto, Macaria senem, fratres, sorores valere iubet et liberos Iolao, Iolaum, Alcmenam, Athenienses hospites liberis intime commendat. Perpetuam suam ipsius memoriam Heraclidae retineant et victoriam adepti inque patriam restituti ibi mortuae sepulcrum esse patiantur. Quos honores Iolaus fratrum loco promittit et, dum Macaria ipsa a rege abducitur, in moerore defixus in ara reponitur vestibusque tegitur (cf. v. 381—608).

Στάσιμον δεύτερον. Chorus gravissimo carmine deorum potentiam et leges, quae res dirigant humanas, celebrat. Nefas esse et inane, fati decreta effugere. Itaque Iolaus virginem, quae non sit deploranda, sed felix praedicanda, lugere desistat. Adduntur laudes Macariae, quae virtute sua sibi aeternam gloriam compararit. Virtutem autem omnino ex omnibus periculis superiorem discedere (cf. 608—630).

Ἐπεισόδιον τρίτον. Hylli famulus intervenit et Heraclidas Iolaumque moestum, a quo primo non agnoscitur, laetis animis esse iubet, quod ipsis salutem afferat. Quo nuntio recreatus Iolaus Alcmenam e templo evocat, ut iucundissimos audiat sermones. Quae, ubi famulum videt, Argivorum praeconem iterum adesse rata, se viva negat fore, ut Heraclidae abducantur. Famulus autem, Hylli copias in laevo aciei cornu instructas, victimas iam abductas, Eurystheum autem tam vicinum esse, ut conspiciatur, senes certiores facit. Nuntium in pugnam abiturum Iolaus sequi vult. Hinc efficitur, ut ille rideat tale senis consilium stultumque appellet. Nihilominus senex, quidquid chorus et Alcmena lamentantur, in consilio suo perseverat. At vires ita deficiunt illum, ut, quamquam famulus arma e templo arcessita gestat, infantis instar in pugnam ducendus sit. Corporis infirmitate impeditus, quominus iter contendat, temporis meminit, quo cum Hercule Spartam expugnarit, pristinasque adolescentiae vires desiderat (cf. v. 630—748).

Στάσιμον τρίτον. Chorus intercinit carmen, quo Terram invocat et Lunam et Solem, ut sibi victoriae nuntium afferant. Dolendum esse, quod opulentissima urbs, quales sint Mycenae, Athenis irascatur, sed turpe supplices prodere. Iovem pugnae interfuturum esse sperat simulque precatur, ut Athenarum mater Eurystheum repellat, et amplissimos honores illi promittit (cf. v. 748—784).

Ἐπεισόδιον τέταρτον. Quae ubi chorus cecinit, alius quidam famulus in scenam prodit et Alcmenae victoriam renuntiat et omnia ex ordine narrare iussus pugnam inter utrumque exercitum factam describit. Ante proelium enim commissum, ait, Eurystheum ab Hyllo ad singulare quidem certamen provocatum esse, sed pedem retraxisse. Tum vero salutiferam Macariae caedem a sacerdotibus perpetratam, collatisque signis acriter pugnatum esse. Initio quidem Argivos vicisse, postea tamen recurrentes cessisse. Quod ubi viderit, Iolaum in Hylli currum conscendisse, Eurystheo institisse neque procul a Minervae Pallenidis sacello ab Iove et Hebe petiisse, ut unum sibi diem liceat iuveni esse et hostes ulcisci. Iam Herculem et Heben in geminarum stellarum formam mutatos apparuisse et Iolao vires iuveniles reddidisse. Tali modo factum esse, ut Eurystheus ab Iolao captus sit et vinctus reducatur (cf. v. 784—867). Quo ex nuntio quum chorus summam laetitiam capit tum Alcmena, quae Iovi gratias agit, quod Herculem inter deos versari in lucem protulerit [1]), et Heraclidis, utpote quibus hoste devicto reditus in patriam pateat, vehementer gratulatur. Alcmenae interroganti, cur Iolaus Eurysthei vitae pepercerit, famulus eius rei causam inde repetendam esse respondet, quod victor antiquum hostem Alcmenae tradi voluerit. Abit tum servus spei plenus, fore, ut, quam promiserit Alcmena libertatem (cf. v. 788 seq.) nuntii praemium accipiat (cf. v. 867—892).

Στάσιμον τέταρτον. Chorus laetitiam suam ex felice rerum exitu perceptam carmine exprimit elegantissimo. Multa quidem sibi iucunda esse, nec tamen aspectu alienae fortunae insperatae dulcius quicquam. Iam vero satis elucere, viam, quam urbs ingrediatur, esse virtutis, neque eam cives deserant, quum dii homines superbos, ut modo Eurystheum, puniant. Herculem autem non in orco, sed in coelo residere

[1]) Apud Hom. Odyss. λ. 600 seqq. Hercules in Oeta monte combustus ad inferos descendisse fingitur. Athenienses autem primos fuisse, qui Herculem divinis coluerint honoribus, Diod. Sic. IV. 39 affirmat. Quantopere vero divinus Herculis cultus in Atticae finibus viguerit, fana Heraclea multis Atticae locis dispersa sunt testimonio. Cf. Müller. Dor. I. 441, Boeckh., explicatt. ad Pind. p. 193, Göttling., Bericht d. G. d. W. Leipz. VI, 14—27.

cum Hebe coniunctum, neque aliter, atque illi, liberis quoque eius favere Minervam et Athenienses, qui Eurysthei insolentiam domuerint (cf. v. 892—928).

Ἔξοδος. Eurystheus vinctus a praecone adducitur, dum Iolaus et Hyllus abesse finguntur, ut Iovi tropaeum statuant. Alcmena, simulatque hostem conspicit, in eum propter labores Herculi Heraclidisque allatos acerrime invehitur eique mortem minatur. Quidquid praeco opponit, caedem Eurysthei pugna capti esse contra et regis voluntatem et Atheniensium leges, Alcmena sibi constat. Iam Eurystheus de instante morte securus se nisi a Iunone iussum atque suis ipsius commodis inservientem in Herculem olim et Heraclidas crudeliter non consuluisse contendit. Choro admonente, ut regi, quam civitas velit, libertatem donet, Alcmena litem ita dirimere studet, ut ipsa quidem hostem interficiat, interfecti tamen cadaver amicis tradat. Tum Eurystheus Atheniensibus gratias agit, quod vitae suae pepercerint, iisque Apollinis oraculum patefacit: sepultum enim prope Pallenidis templum Minervae se urbi fore utilissimum, inimicissimum Heraclidarum posteris, qui beneficiorum Atheniensium immemores magnis cum copiis redituri sint. Addit preces, ne inferiae sibi afferantur, quo reditus illis plus perniciei habeat. [1]) Quibus verbis Alcmena ita exacerbatur, ut Eurystheum ad supplicium rapi eiusque cadaver canibus lacerandum proiici iubeat. Chorus more solito anapaestis finem imponit fabulae (cf. v. 928—1055).

§. 2.

Quomodo ceteri antiquitatis auctores Heraclidarum fabulam tractarint.

Non alienum erit ab hac commentatione, de Heraclidarum fabula, qualem alii veteres auctores memoriae prodiderint, paucis disputare, praesertim quum illorum testimonia cum argumento, quale Euripides tractavit, non prorsus conspirent. — Heraclidarum argumentum Homerica aetate omnino non tam excultum et exornatum fuisse, quam Aeacidarum et Pelopidarum, negari nequit. Neque enim ex Homero, qui Il. II, 635 seqq. Herculis posterorum mentionem fecit unam, neque ex Hesiodi Eoearum et Aegimii reliquiis neque ex aliis poetarum epicorum paucissimis fragmentis quicquam, quod ad nostrae fabulae argumentum inten-

[1]) De vi negatae aut non ex more observatae sepulturae cf. Winiewski, prooem ind. lect., Mon. 1860. p. 12. seq.

derit, compertum habemus.[1]) Paulo demum ante bella Persica Heraclidarum fabulae lineamenta ac formam exstitisse quum ex iis, quae Herodotus IX, 27. de Herculis posteris narrat, tum ex Hecataei Milesii et Pherecydis Atheniensis mythographorum qui vocantur reliquiis satius elucet. Hecataeus enim, cuius verba Longinns π. ὕ. c. 27. (Kreuzer. ed. fragm. antiqu. histor. p. 54.) servavit, Heraclidas a Ceyce propter Eurysthei metum iussos Trachine cessisse narrat et Pherecydes (Anton. Liber. fab. 33.) eosdem in fidem Demophontis regis se contulisse tradit. — Maiorem autem curam in Heraclidarum argumento exornando adhibuisse videntur poetae tragici. Nam, ut praetermittam, quod Euripides ex eodem orbe mythico Licymnium sive Tlepolemum, Temenidas sive Temenum, Archelaum tractarit,[2]) Aeschylus quoque Heraclidarum fabulam composuit. Sed, quale huius fabulae argumentum fuerit, neque ex fragmentis (cf. Stob. CXXII, 2.) neque ex veterum scriptorum testimoniis (cf. Hesych. s. v. Ἀμφιμήτορες et s. v. Ἐπιγλωσσῶ) apparet, neque ex titulo aliud quicquam coniici potest, nisi Herculis posteros, sicut in Euripidea fabula, in scenam esse productos. Num vero argumentum utriusque fabulae unum et idem fuerit, diiudicari nequit.[3])

Deinde Sophocles fabulam Iolai nomine inscriptam docuisse memoratur. Scholiasta enim ad Aristoph. Equit. v. 501 ed. Dind.:

ἀλλ' ἴθι χαίρων καὶ πράξειας
κατὰ νοῦν τὸν ἐμόν, καί σε φυλάττοι
Ζεὺς ἀγοραῖος· καὶ νικήσας
αὖθις ἐκεῖθεν πάλιν ὡς ἡμᾶς
ἔλθοις στεφάνοις κατάπαστος.

adnotat: *ταῦτα δὲ παρὰ τὰ Σοφοκλέους ἐξ Ἰολάου.* Recte Pflugkius coniecerit, quum scribat:[4]) „ac sunt illa sane eiusmodi, ut ne verbo quidem mutato — etsi omnia a Sophocle sumpta esse non probabile est — po-

[1]) Cf. Preller, Griech. Mythol. II. p. 278 seqq.; C. O. Müller. Dor. p. 51 ita disputat; „Es ist kein Punkt der griechischen Sagengeschichte, dessen eigentliche Quellen uns so unbekannt wären, als der Heraklidenzug. Niemand kann in ihm einen noch ebenso mythischen Charakter verkennen, als im Troerkrieg, und doch entbehren wir, was die Behandlung des Mythus so lehrreich macht, den durch alte Epopöen reichlich zufliessenden Sagenstoff. — Keine Hauptklasse des Epos behandelte diese Begebenheit ausführlich, nicht die Kykliker, nicht die Nostoi; in den hesiodischen Eoeen scheinen nur einige kürzere Stellen gestanden zu haben."

[2]) cf. Welcker., Gr. Tr. p. 690 ff.

[3]) cf. Welcker., l. l. p. 52, Wagner, poet. trag. Graec. fragm. I. p. 38.

[4]) Cf, Pflugk. praef. Her. p. 21.

tuerint aptissime pronuntiari a choro, digrediente ad pugnam Iolao." Sed quum neque Iolai titulus neque singula eiusdem fabulae fragmenta apud alium quemquam veterum auctorum reperiantur,[1]) iisdem fere tenebris praepedimur, quominus, quae ad Heraclidarum argumentum spectarint, inde colligere possimus. Exceptis his tragoediae principibus, nemo alius eandem materiem sibi sumpsit, ad quam ingenium et artem applicaret suam. Elmsleius quidem, vir ille doctissimus, in eam sententiam pronum se praestat, ut Pamphilo quoque Heraclidarum fabulam attribuat. Adnotat enim ad Heracl. v. 11.: „Nescio cuius Pamphili Heraclidas memorat Aristophanes Plut. 385. Picturane an tragoedia fuerint Pamphili Heraclidae, incertum est. Grammaticorum coniecturas recenset scholiastes." Eandem sententiam secutus est C. O. Müllerus (Dor. I. p. 56), sed postea retractavit (cf. Prolegg. myth. p. 400 seq.). Silligius vero Catal. artif. p. 313 seq. Pamphili Heraclidas nihil aliud, nisi Pamphili Amphipolitae, qui Apellis magister fuit, picturam esse, satis explanavit. — Magni esset momenti ad Heraclidarum fabulam accuratius investigendam, si Latini poetae eidem argumento operam navassent; sed horum nemo, quod sciam, Heraclidarum argumentum musae suae accommodavit.

Restat, ut, quae alii antiquitatis scriptores de nostra fabula scripserint, omnia respiciamus. Apollodorus bibl. II. 8, 1. Heraclidarum fabulam his fere verbis affert: Hercule defuncto, Heraclidas Mycenis eiectos Trachina ad Ceycem profugisse; unde Eurystheo bellum minitante cedentes Graeciam paragrasse et tandem Athenis ad Misericordiae aram prostratos auxilium invenisse. Athenienses enim, tantum abfuisse, ut eos Eurystheo proderent, ut adversus illum arma ferrent eiusque quinque filios occiderent. Eurystheum autem ipsum fugientem ab Hyllo, qui eius vestigiis institisset, ad Scironis rupes interfectum esse eiusque caput abscissum et Alcmenae, quae oculos ei effoderet fibulis, traditum. Eadem fere Diodorus Siculus IV, c. 57. narrat, nisi quod Theseum etiamtum superstitem fuisse addit; qua in re ille consentit cum Pausania I, 32, qui vero I, 44, 10. Eurystheum ab J o l a o ad Scironis rupes occisum esse tradit. Iam Thucydides I, 9 Eurystheum ab Heraclidis in Attica interfectum esse strictim attigit; Strabo autem (VIII, p. 377, Casaub. 209 Tauchn.) de Eurysthei nece, qualis memoriae tradita sit, accuratius refert: Eurystheum enim contra Heraclidas et Iolaum, quibus Athenienses auxiliarentur, Marathonem profectum in pugna occidisse. Caput eius

[1]) Cf. Welcker, Gr. Tr. I. p. 373.

prope Macariam [1]) fontem ab Iolao abscissum Tricorythi [2]), cadaverisque quod restaret, Gargetti conditum esse.

His expositis, nonnulla in Euripidea fabula quum aliter narrata tum addita exornataque esse neminem fugere potest. Nam, ut omittam, quod poeta supplices non ad Misericordiae aram, sicut Apollodorus l. l. et alii ab Tayloro ad Lysiam p. 69. Reisk. indicati memorant, sed ad *Διὸς Ἀγοραίου βωμὸν* (cf. v. 70, 79, 121) consedisse finxerit, illud quidem permirum est, neminem eorum, qui Heraclidarum fabulam tractarint, de Macariae immolatione mentionem iniecisse. Unus scholiasta ad Aristoph. Equit. 1159 Dind. haec adnotat: oraculo edito, fore, ut Athenienses, si ex Heraclidis una morti se devovisset, e pugna superiores discederent, Macariam pro Atheniensium propinquorumque salute voluntariam mortem occubuisse. Sepulcrum virginis ab Atheniensibus conditum multisque floribus et coronis redimitum esse. Macariae quoque nomen haerere in fonte prope Marathonem atque in Graecorum proverbio *βάλλ' εἰς μακαρίαν*.[3]) Iam Euripides, quum Herculi plurium filiarum attribuerit progeniem (cf. v. 41), dissentit ab Antigono Caryst. c. 120, qui Macariam ex Herculis septuaginta duobus liberis unam filiam fuisse memoriae tradidit.

De Copreo quoque Eurysthei praecone auctorum, quos indicavi, neminem habeo, qui aliquid prodiderit. Eurystheum Coprei quidem ministerio adversus Herculem usum esse, ex Homeri Iliade XV, 639. et Apollodor. II, 5, 1 elucet; istius vero praeconis ad Heraclidas persequendos missi unus mentionem fecit Philostratus, qui in vita Soph. I, p. 550 Copreum praeconem, quum supplices ab ara abstraheret, ab Atheniensibus interfectum esse memorat. Euripides vero, „apud quem minas ac prope iam iniectam manum (sc. Demophontis), sed nihil ultra verba, ut in populo divini humanique iuris observuntissimo, videas (v. 270)“ Coprei caedem autignorasse aut potius dissimulasse mihi videtur.

Iam vero Iolai fabulae Euripides aliquid novi adiecerit. Ceterorum enim auctornm, qui Iolaum Herculis ex fratre filium eiusque et aurigam et laborum socium memorant atque excepto Apollodoro l. l. Eurystheum ab illo occisum esse cum poeta consentiunt, nemo eundem diis propitiis

[1]) Heynius ad Apollod. p. 203. Μακαρίαν pro Ἀκαρίαν recte emendavit.

[2]) C. O. Müller. Dor. I. p. 56. lectionem ἐν Τρικορύθῳ pro ἐν τῇ Κορίνθῳ restituit. Tricorythus una cumMarathone, Oenoe, Probalintho pars tetrapolidis Atticae erat.

[3]) De provorbio βάλλ' εἰς μακαρίαν conferas velim Suid. vol. I, p. 413, Zenob. prov. II, 61, Timaei lex. Plat. p. 59, ubi vid. Ruhnken.

iuveniles vires recepisse retulit. Iolai autem fabulam, qualem Euripides exornavit, Pindarus quoque Pyth. IX, 81 non ignoravit. Sed si, quae scholiasta ad Pindari verba adnotat, inspexeris, et duas exstitisse fabulas, quarum altera Iolaum mortuum in vitam rediisse, altera senem recuperasse iuventae florem, exhibuerit, certo concesseris neque, utram fabulam Pindarus secutus sit, facile diiudicaveris. Mihi quidem C. O. Müller. Dor. I, p. 56. Pindarum posteriore illa fabula nixum esse haud sine probabilitatis specie coniecisse videtur. — Latinorum poetarum Ovid. Metam. IX, 397. eandem rem valde admirandam obiter attigit.

Eurystheum denique poeta non, ut ceteri scriptores, quos supra laudavimus, in pugna occisum, sed captum et ad Alcmenam adductum finxit. Idem Isocrates Paneg. §. 59 narrat; sed quispiam illum oratorem aut ex Euripide aut ex alio, qui idem tradiderit, poeta tragico Eurysthei fabulam hausisse ratus a vero non aberraverit. Noster autem, quum hostem vivum in scenam induceret, non solum huic fabulae exornandae bene consuluit, sed etiam consilii, quod in fabula componenda sibi proposuerat, rationem diligenter habuit. Sed hac de re infra accuratius disseremus.

Caput secundum.

De fabulae tempore.

§. 1.

Quo tempore poeta fabulam docuerit, exquiritur.

In tempore, quo docta sit aliqua fabula, definiendo externa et interna argumenta adhibenda sunt. Externa argumenta, quae optima ac certissima esse per se constat, a didascaliis quas dicunt singularum fabularum vel ab aliis antiquitatis testimoniis petuntur. Sed quum temporum iniuria fabularum didascaliis non pepercerit neque certa antiquitatis testimonia saepe reperiantur, interna argumenta partim ex coniectura, partim ex observantia diuturna deducenda sunt, tum ex universa tragoediae compositione et diligentia, qua in argumento tractando poeta usus sit, et e sententiis partibusque tragoediae a poeta non tam ad personarum

suarum mores, quam ad rerum extrinsecus positarum conditionem suaeque aetatis ingenium expressis,[1]) tum e metrorum bonitate [2]) et forma orationis, denique e comoediis, in quibus Aristophanes ceterique comici tragoediam respexerint.[3]) Aristophanis enim comoediae quo tempore scriptae sint, quum nemo nesciat, in dubium vocari non potest, quin, quo tempore Aristophanes comoediam conscripserit, fabula a comico perstrincta iam docta sit. Neque negari potest, viros criticos scholiis, quae ad Aristophanis comoedias larga manu exhibita sunt, magnopere adiuvari.

Sed ad Heraclidas transeamus. Frustra externum argumentum circumspicias, unde, quo anno poeta fabulam docuerit, aliquid certi elicere possis. Quo autem minus antiquitatis testimonia habemus, eo magis interna argumenta perpendamus. In tanta opinionum, in quas viri docti abierunt, discrepantia ac diversitate valde ambiguum est de hac re iudicare. Infinitum autem est et ab hac angustis cancellis circumscripta commentatione alienum, aut enumerando complecti singula aut diiudicare perlustrando. Quapropter nonnullorum virorum, quos iudicandi sollertia et mentis acumine praestare constat, coniecturas in medium attulisse satis habebo, multos vero, qui aliorum secuti sunt suspiciones, sciens omitto.

Ac primum quidem omnium, qui de Heraclidarum tempore coniecturas proposuerunt, **A. Boeckhium,** virum illum doctissimum et iudicem rei scenicae longe peritissimum, in examen voco. Ille enim in eo libro, qui est de Graecae tragoediae principibus p. 190 seq., Heraclidarum

---

[1]) Cf. Boeckh., de trag. Graec. princ. p. 175 seqq. Iacobs., Nachträge V. P. II. p. 405.

[2]) God. Hermannus primus omnium criticorum hanc rationem tempus fabulae doctae definiendi iniit (cf. Opusc. I. p. 135, Elem. doctr. metr. p. 71, 83, 115, 119, 123, praef. Eur. Suppl. p. IV. et Bacch. p. XXXIX, al. loc.) et ita quidem, ut, quo plures syllabarum longarum solutiones et anapaesti usus in senariis et octonariis inveniantur, eo recentiorem esse fabulam collegerit. Sed haec opinio aliqua ex parte vacillat et claudicat, quum annus, quo haec negligentia orta sit, accurate definiri non possit. V. D. ipse hac in re sibi non constitit, quippe qui in disp. de Graec. ling. dialectis hanc mutationem ol. 90. vel 91. vel 89. factam esse statuerit. Ambigua illa coniectura magis etiam labefactatur, quod in Soph. Oed. Reg. et in Eur. Medea, quas fabulas ante tempus ab Hermanno constitutum doctas esse constat, tales solutiones satis superque inveneris. Hermanni sententiam secutus est Zirndorferus in dissert. „de chronol. Eur. fabb. conscripta."

[3]) Cf. Ed. Müller., Geschichte der Theorie der Kunst bei den Alten. I, p. 141 seqq.

fabulam ad res publicas pertinere censet et ex conviciis huius tragoediae in Argivos iactis fabulam doctam esse, quum Argivi adversus Athenienses bellum pararent, coniicit. Argumenta ex vv. 284 et 353 seqq. sumit et tragoediam colligit **ol. 90, 3** actam esse, „quum rupto foedere Argivi pacem cum Laconibus facerent, Atheniensibus autem bellum inferrent, efficientibus optimatibus (Thuc. V, 76 seq.), qui ipsi in Heraclidis Euripidis iniuriam faciunt: anno tamen proximo, restituto Argis populari imperio, cum Atheniensibus in gratiam redeunt (Thuc. V, 82. coll. Dodwell. Anal. Thuc. p. 687), unde calculus noster fit etiam firmior." Sed, ut Heraclidas ad res publicas spectasse Boeckhio concedam, tamen ea, quae in Argivos iacta reperisse sibi visus est, nihil in se continent, nisi quod totius argumenti ratio postulare debuit. Atque quomodo hoc cum V. D. suspicione congruat, quod vv. 339 et 759 cum verecundia quadam Argivorum opes praedicantur, equidem non intelligo. Aliud tamen contra Boeckhii sententiam est monendum, ne unum quidem locum in fabula inveniri, quo Argivorum optimates et populus distinguantur.

Boeckhii sententiam **Pflugkius** praef. p. 22. seq. rectissimo iudicio ita confutavit, ut pleraque fabulae multo aptius ad Lacedaemoniorum inimicitias, quam ad illam Argivorum defectionem et brevem et, priusquam hostilia perpetrarentur, rursus compositam referri posse colligeret. Atheniensium in supplicibus tuendis fidem ac religionem putat facile arguere Lacedaemonios in iisdem perfidiae ac crudelitatis, qualem vel in Pauseniae regis caede vel in Plataeensium in deditionem acceptorum occidione monstrassent. Esse tum quaedam iudicia pacis haud ita pridem disiectae (cf. v. 377) et expeditionum in Atticam factarum mentionem (cf. v. 1035) tempori violatae nuper regionis Atticae aptissimam et Spartanorum nomen ab Iolao semel quidem (cf. v. 742) memoratum. Nec tamen annum definire ausus in eo substitit V. D., ut nec prius editam esse hanc fabulam, quam **ol. 87** $^2/_3$, nec multo recentiorem, quam **ol. 88, 2** persuasum habeat. Equidem vero, etsi pleraque haud sine aliqua probabili coniectura dicta esse concedo, tempus tamen, quo se continuerit Pflugkii suspicio, longius esse terminatum atque aliter aliis de causis definiendum existimo. Sed hac de re infra disputabo.

Prius, ut taceam God. Hermannum, Lachmannum, Elmsleium, qui omnes propter eximiam diligentiam in numeris componendis adhibitam Heraclidas ante **ol. 90** doctas esse suspicati sunt, ad **Zirndorferi** [1]) coniecturam animum iuvat advertere. Qui tragoediae argumentum et

---

[1]) cf. Zirndorfer, de chronol. fabul. Euripid., Marbg., p. 33.

silentium de Lacedaemoniis obtentum satis indicare affirmat, quo tempore illa edita sit Athenienses neque cum Argivis coniunctos fuisse neque cum Lacedaemoniis bellum gessisse. Quae ut recte collegerit, alia tamen mihi non probantur, minime vero, quod sub Heraclidarum persona Lacedaemonios introductos vult. Iam vero reperisse sibi visus est, quod Heraclidae supplices Athenas veniant, hoc illud tempus spectare, quo Lacedaemonii ab Atheniensibus pacem petierint; eamque ut cives sui praeberent, Euripidem fabulam docuisse. Ut paucis dicam, Zirndorferus in suspicionem incidit, fabulam **ol. 88 3/4** in scenam esse productam, quo anno, Pylo amissa nobilissimisque Spartanis in Sphacteria insula captis, Lacedaemonii ad pacem quacunque conditione ineundam Athenas venerint. Quid vero? num vir doctus in memoriam vocarit, Athenienses in extrema fabula cum Heraclidis in Eurystheum pugna captum crudeliter consulentibus non consentire? Id quidem luce clarius est, Euripidem, si conscripta fabula Athenienses eo adducere voluisset, ut Lacedaemoniis pacem petentibus obsequerentur, Eurystheo verba illa Heraclidis minantia non attribuisse.

Non possum, quin **Fixii** coniecturam, quam in praefatione editioni Euripidis praemissa fecit, commemorem, vel maxime quod fabulam ille maturrime **ol. 84, 3** doctam esse argumentatus est. Sed quamvis pristina illa morum pietas per totam fabulam conservata sit, ut Fixio assentiar, tamen non desunt, quae satis graviter sonent, velut illa Iolai (cf. v. 327):

— ἕνα γὰρ ἐν πολλοῖς ἴσως
εὕροις ἂν ὅστις ἐστὶ μὴ χείρων πατρός,

et Alcmenae (cf. v. 719):

εἰ δ' ἐστὶν ὅσιος, αὐτὸς (sc. *Ζεύς*) *οἶδεν, εἰς ἐμέ.*

Iam tantum abest, ut Fixio, qui Lacedaemonios, licet fabulae argumentum amplam carpendi occasionem praebuerit, non esse perstrictos neque fabulam propter poesis genus, quo excellat, ab Aristophane concerptam censet, adstipuler, ut omnino negem. Scholiasta enim ad Aristoph. Equit. v. 214:

τάραττε καὶ χόρδευ' ὁμοῦ τὰ πράγματα

haec adnotat: *παρῳδίας τρόπον· παρῴδησε γὰρ τὸν ἴαμβον ἐξ Ἡρακλειδῶν Εὐριπίδου.* Quibus verbis primum satis indicat, Euripidis Heraclidas ante Aristoph. Equites scriptos esse sibi videri. At, id quod viam investigandi lubricam reddit, frustra ille versus aut similis in fabula, quam superstitem habemus, quaeritur. Fortasse dixerit quispiam,

Equitum illum interpretem in illo versu aut erravisse omnino, aut Euripidis nomen pro alius poetae tragici appellasse. Neque raro eiusmodi peccata apud veteres hos scholiastas viri docti animadverterunt.[1]) Elmsleius quidem in eam inclinat sententiam, ut scholiastam ex Pamphili cuiusdam Heraclidis illum versum adnotasse existimet.[2]) Sed Pamphili Heraclidas non fabulam, sed picturam fuisse, iam supra vidimus. Quid? quod scholiasta ex Aeschyli Heraclidis illum versum sumere potuit? Memoria tamen fabulae Aeschyleae, ut Pflugkii verbis utar, tam obscura est et reliquiae adeo tenues (cf. supra p. 8), ut sine summa temeritate ne coniecturam quidem periclitari possis.

Atqui quum nulla alia poetarum tragicorum fabula eiusdem nominis exstet, ad quam illud scholion referatur, scholiastae fides abroganda non est. Ceterum huic sententiae accedit firmamento, quod neminem fere scholiastarum, quam qui commentarios ad Arist. Equites scripsit, diligentiorem et in nominibus scriptorum, quos in rem suam laudavit, accuratiorem verioremque inveneris.[3]) His autem expositis, non possumus, quin nostram fabulam a genuina, in qua ille laudatus versus aut similis locum suum habuerit, diversam neque sine lacunis nobis traditam censeamus. Qua in re vehementer gaudeo, quod Hermannum, cuius sententiam perscripsit Matthiaeus,[4]) Kirchhoffium,[5])

---

[1]) Cf. Welcker, Gr. Tr. I, p. 165, 346, II, 456, Meinecke, quaestt. scen. III, 36 et in diar. Marb. 1843, p. 188.

[2]) Elmsleius ad Her. v. 11 adnotat: nihil in nostra fabula reperio, quod in comici senario παρῳδημένον videatur. Nescio cuius Pamphili Heraclidas memorat. Arist. Plut. 385. (cf. supra p. 9.)

[3]) Firnhaberus, in commentatione de tempore, quo Heraclidas et composuisse et docuisse Euripides videatur, p. 7, huius rei testimonia affert multa.

[4]) Cf. Matthiae, Eur. trag. vol. VIII, p. 257: „Fabulae extrema pars videtur intercidisse, in qua fieri non poterat, quin de Macaria referretur, eaque res solitis celebraretur lamentis. Potuerunt in ea fabulae parte locum habere duo isti trimetri, quos Stobaeus in Florit. Tit. LXXIX. (p. 335. Grot. LXXVII. p. 454. Gesn.) ex Heraclidis affert. Quamquam in ed. Trincav. omissum est fabulae nomen.“

[5]) cf. Kirchhoff, Eur. trag. vol. II, p. 496 ad v. 627 (628): „Post hunc versum multa desunt; intercidere enim nuntii sive Demophontis de morte Macariae narratio et Alcmenae matris lamentationes cum chori cantico integro. novit hanc fabulae partem auctor argumenti: ταυτην μὲν εὐγενῶς ἀποθανοῦσαν ἐτίμησαν αὐτοὶ δὲ τοὺς πολεμίους ἐπιγνόντες παρόντας εἰς τὴν μάχην ὥρμησαν. cf. schol. Arist. Equit. 1151. monuit ea de re olim Hermannus, male is tamen extremam fabulae partem desiderari pronuntians. recte contra idem huc videtur retulisse, quae ex Euripidis Heraclidis apposuit Stob. LXXIX. 3. III. p. 92 et auctiora Orion anth. 6, 7. p. 56:

Nauckium [1]) iutellexi me habere assentientes. Quae si recte disputavimus, inde sequitur, ut Euripides Heraclidas ante Aristophanis Equites, i. e. ante **ol. 88, 4** docuerit.

Sed temporis fines uno anno accuratius terminari possunt. In Acharnensibus enim Aristophanem hanc fabulam irrisisse, Pflugkius praef. p. 23, adn. recte coniecerit. Sed, ne longus sim, in viri docti verba animum intendisse, quam eadem huc afferre malo. [2]) Etiam pluribus Acharnensium locis Euripidis Heraclidas respici, Firnhaberus [3]) subtili iudicio coniecisse mihi videtur. Sed quum Acharnensium comoediam ab Aristophane **ol. 88, 3** scriptam esse certum habeamus, inde Euripidis Heraclidas ante id tempus in scenam productos esse colligere possumus.

Maiorem autem temporis definiendi ansam fabula ipsa nobis praebet, quippe cuius et indoles ac natura et singuli loci hic illic inserti nos dubitare non sinant, quin tempori inserviat et ad certas res publicas spectet. [4]) Qua re nixus **Roscherus** [5]) eximia commentatione de Euripidis Heraclidis libro, quem de Thucydidis vita, scriptis, aetate composuit, intexta denuo tempus definivit et, quo propius ad veritatem accessit, eo minus hoc loco negligendus est. V. D. enim fabulam ei tempori adiudicat, quo legati Corcyraeorum et Corinthiorum Athenis commorati res suas egerint in concionibus, quarum primam inter et alteram Heraclidas in Corcyraeorum favorem **ol. 86, 4** aut Lenaeis aut magnis Dionysiis doctos esse putat. Sed haec quoque opinio, licet maioris momenti sit, quam quas supra notavimus, nihilominus mihi

---

ὅστις δὲ τοὺς τεκόντας ἐν βίῳ σέβει
ὅδ' ἐστὶ καὶ ζῶν καὶ θανὼν θεοῖς φίλος.
ὅστις δὲ τὼ φύσαντε μὴ τιμᾶν θέλει,
μή μοι γένοιτο μήτε συνθύτης θεοῖς
μήτ' ἐν θαλάσσῃ κοινόπλουν στέλλοι σκάφος.

accedit schol. Arist. Equit. v. 214 (cf. supra). addit Nauckius versus, quos cum lemmate Εὐριπίδης Ἡρακλεῖ habet Stob. flor. VII. 9. I p. 175, omisso et poetae et fabulae nomine citat Plutarchus mor. p. 447:

τό μὲν σφαγῆναι δεινόν, εὔκλειαν δ' ἔχει
τὸ μὴ θανεῖν δὲ δειλόν, ἡδονὴ δ' ἔνι."

[1]) Nauck, praef. p. XXVII. seq.

[2]) cf. Pflugk, praef. Her. p. 23. adn. et ed. Acharn. adn. ad. v. 939.

[3]) cf. Firnhaber, l. l. p. 47, 49, 72 adnott.

[4]) cf. Bernhardy, Grundr. d. gr. Litt. II, 2 p. 427. Schlegel, Vorl. über dram. Kunst und Litt. p. 257. Jacobs, Nachtr. V, 409.

[5]) cf. Roscher, Klio I, 540 seqq.

probari nequit. Nam, ut singulos quosdam locos, quos ille ad sententiam suam comprobandam attulit, infra accuratius perpendam, illico Heraclidas supplices cum Corcyraeis Atheniensium societatem petentibus non ab omni parte bene comparatos esse negare non possum. Heraclidae enim expulsi et ubique, aliorum ope frustra implorata, reiecti ab Atheniensibus auxilium petunt, Corcyraei autem opulentia sua freti et se nunquam cum ullo populo societatem contraxisse nec quaesivisse et, qualem rogent, talem opem praestituros esse iactantes (cf. Thuc. I, 32) cum Atheniensibus societatem inire cupiunt. Quid multa? Tota fere similitudo in eo versari mihi videtur, quod et Heraclidae et Corcyraei auxilium rogandi causa Athenas venerint. Atque poeta, opinor, si in Corcyraeorum favorem Heraclidas composuisset, Corcyraeorum rebus male consuluisset, si quidem fabula, quo perfidiae supplices ingrati aliquando progressuri sint, extrema ostendit. Tempus denique, quod inter duas istas conciones incidit, fabulae docendae non suffecerit, praesertim quum illas conciones duabus deinceps diebus habitas esse verisimile sit teste Thucyd. I, 44 (ubi vid. Krüger adn.), simulque valde dubitari possit, num Lenaea aut magna Dionysia cum eo tempore, quo legati utriusque populi Athenis fuerunt, conciderit.

Equidem vero, quantum ab Roscheri ceterorumque virorum opinione abhorreo, ex argumenti tractatione et singulis fabulae locis aliud tempus elici posse ratus fabulam **ol. 87, 1** adiudicare cogor. Quod nolo ita intelligi, quasi rectam viam invenisse mihi tribuere aut assumere videar, sed potius quisquis commentationem illam, quam Firnhaberus de tempore Heraclidarum conscripsit, cognitam habuit, hac adiutus fabulam ei tempori, quod est paulo ante bellum Peloponnesiacum, et rebus publicis, quae tum erant, aptissimam esse censebit. „Euripides enim Hericlidas excogitavit, composuit, docuit, postquam ultimi legati Peloponnesiorum Athenis commorati, Spartam redierunt, scripsitque ea mente, ut summi Periclis, cuius, dum vivebat, partes sequebatur, consilia, quam essent e republica, populo persuaderet, quam iniusta postularent Lacedaemonii ingrati, ostenderet, quaecunque et populo et magistratibus molienda iam essent, doceret, feliciter Athenas ex instanti bello exituras esse praediceret." Sed singula infra videbimus. Exsistit autem hoc loco quaestio subdificilis, quonam die festo Euripides fabulam docuerit. Eodem quidem anno tetralogiam, Medeam, Philoctetem, Dictyn, Theristas editas esse non sum nescius (cf. Aristoph. grammat. p. 174). Sed quum tetralogias magnis Dionysiis, Lenaeis autem

singulas tragoedias actas esse verisimilius sit,[1]) atque virorum doctorum opinio, Dionysiis quae κατ' ἀγρούς vocantur novas fabulas non esse doctas aliquantum fidei prae se ferat,[2]) Euripidem Heraclidas Lenaeis mense Gamelione in scenam produxisse, recte coniecerim.

§. 2.
Quomodo poeta tempus suum respexerit.

Investiganti, quomodo poeta tempus suum respexerit, videndum est, ne quid, quod temporis rationem habuerit, ex unaquaque sententia artificiose eliciat.[3]) Sed si qua sententia ita est expressa, ut auditores haud diu multumque secum meditati, eam, quo valeret, celeriter arripere possent, in dubium vocari nequit, quin poeta aliud revera spectarit. Ceterum, quam insigni ingenii celeritate Athenienses ea, quae significabant poetae scenici, perspexerint, nemo nescit, qui, quam celeriter auditores Aesch. Pers. v. 577 seqq. in Aristidem transtulerint, apud Plutarch. vita Arist. p. 14. legerit. Etiam plura huiusmodi exempla Lachmannus,[4]) Süvernius,[5]) Hermannus,[6]) Böckhius,[7]) Schöllius,[8]) alii attulerunt.

Quod ad nostram fabulam attinet, iam argumentum ipsum, quod poeta sibi tractandum elegit, Atheniensibus non placere non potuit, si quidem memoria beneficiorum, quae maiores in supplices Heraclidas contulerant, laudibus celebrata est. Quanti autem Athenienses omnino fecerint, quod Heraclidas non solum sedibus hospitioque receperint,

[1]) cf. Boeckh., prooem. Berol. 1841, p. 11. Bernhardy, l. l. II, p. 583.

[2]) cf. Boeckh., über d. Lenäen, Anthest., Dionys. 1816, p. 105 s. Schneider, attisch. Theaterwes. p. 5. adn. 53.

[3]) Hoc vitium cavendum Süvernius, Abhandl. d. B. A. 1824, p. 3 hisce verbis praemonet: „Wenn eine angenommene Anspielung der Art ist, dass sie das ein durchaus öffentliches Staatsleben führende, mit der früheren, wie mit der Tagesgeschichte vertraute und aufgeweckte Volk gleich treffen, von ihm ohne vieles Nachsinnen verstanden werden und eine schlagende Wirkung verbreiten konnte, so mag sie dann als eine solche anerkannt werden; wenn aber ihre Beziehung so versteckt ist, dass deren Verständniss auch dem damaligen Volke nicht ohne vieles und gekünsteltes Suchen klar werden konnte, so kann sie als eine ächte, vom Dichter beabsichtigte Anspielung mit Grund bezweifelt werden.“

[4]) Lachmann, Rhein. Mus., Jahrg. 1, Heft 4.

[5]) Süvern, Abhandl. der Berl. Akad. 1824.

[6]) Hermann, quaestt. Oedip. p. 50 seqq.

[7]) Boeckh, de gr. tr. princ. p. 179.

[8]) Schöll, Soph. Leben 169 ff.

sed etiam armis defenderint, eiusdem rei mentio populi decreto (cf. Demosth. de cor. §. 186) inserta firmamento esse potest. Eandem rem celebrant Herodotus in iis, quae lib. IX. c. 27 Atheniensium nescio quem dicentem fecit, et oratores Isocrates paneg. §. 56, panath. §. 194, Lysias epit. §. 11, Demosth. epit. §. 8, Arist. vol. I, p. 175 ed. Dind. Euripides autem, quo neminem poetarum tragicorum tanta cum ingenii sollertia temporis sui maiorem rationem habuisse scimus,[1]) tempori suo eo magis inserviit, quod Lacedaemonii, Heraclidarum posteri, pristinorum beneficiorum immemores, bellum illud luctuosissimum excitare conati sunt.

Liceat, quae de tempore, quo Euripides docuerit fabulam supra statuimus, memoriae tradita sunt, paucis complecti. Iam diu Athenienses, Peloponnesios, qualibus animis in se essent, opportunam occasionem nactos bellum ipsis illaturos esse, certum habebant. Satis sit repetere Thucydidis locum I, 44, 2, quo ille causam, cur Athenienses Corcyraeis petentibus auxilium non denegarint, his verbis affert: nam bellum contra Peloponnesios vel sic fore ipsis videbatur neque Corcyram tanta classe ornatam Corinthiis permittere volebant. Nihilominus Athenienses spem, fore, ut Peloponnesii foedus illud notum triginta annorum servarent, non abiecerant, et legati quoque Atheniensium, qui nescio qua de causa Spartam venerant, Lacedaemonios admonuerunt, ut res diiudicandas iudiciis traderent neve foedera, quorum tutores essent dii, laederent (cf. Thuc. I, 78). Lacedaemonii autem, tantum aberat, ut ab incepto consilio bellum Atheniensibus inferendi desisterent, ut ter legatos Athenas mitterent, quo plus temporis ad bellum parandum nanciscerentur.[2]) Primi legati Atheniensibus, ut antiquum deae piaculum Athenis expellerent, imperaverunt non tam sperantes, fore, ut Pericles, qui illi piaculo a matre affinis erat, ex urbe eiiceretur, quam ut illi Atheniensium principi invidiam apud populum conflarent (cf. Thuc. I, 127). Athenienses vero vicissim postularunt, ut Lacedaemonii eos, qui ad Taenarum et in templo Palladis Chalcioecae scelera commisissent, exterminarent (cf. Thuc. I, 128). Iam alteri legati ab Atheniensibus poposcerunt, ut a Potidaea recederent, Aeginam suis legibus vivere sinerent, decretum illud de Megarensibus rescinderent (cf. Thuc. I, 139 et Plut. Per. 30). Quibus rebus non concessis, postremi legati Athenas venerunt postulantes, ut omnes Graecos ut liberos vivere sinerent. Convocata tum Atheniensium concione, alii ad bellum suscipiendum incitaverunt, alii Lacedaemoniis

[1]) cf. Boeckh, de gr. trag. princ. p 181.

[2]) cf. Curtius, Griech. Geschichte II, p. 329 ff.

cedendum esse putaverunt. Sed Pericles, *ἀνὴρ κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον πρῶτος Ἀθηναίων λέγειν τε καὶ πράσσειν δυνατώτατος*, praeclara illa oratione, cuius singulos quosdam locos infra accuratius respiciam, Peloponnesiorum postulata non explenda esse conset (cf. Thuc. I, 140 seqq.). Megarensibus, inquit, commercii usum non permittemus, nisi Lacedaemonii nobis et sociis portus ac fines praecludere desinunt; civitates legibus suis vivant, si quae sunt, quae ante ictum foedus legibus suis vixerunt, ea quidem conditione, ut Lacedaemonii civitatibus Peloponnesiacis idem concedant. Ceterum res controversae ex foederibus constitutis iudicio diiudicandae sunt, nec bellum incipiemus nisi coacti. Dubitat tamen orator ipse, num hoc responso dato Lacedaemoniorum animi flectantur, eamque ob causam bellum omnibus viribus parandum esse existimat. Periclis sententia a maiore concionis parte comprobata, legati Spartam redierunt, bellum parabatur, multa oracula ferebantur (cf. Thuc. II, 8), factionum exardescebat ira et studium, aliis Pericli, quod restiterit, assentientibus, aliis eidem belli causam attribuentibus. Eodem ipso anno, ol. 87, 1, infelix bellum susceptum est; Thebani enim Plataeas invaserunt et haud ita multo post Lacedaemonii in Atticam irruperunt (cf. Thuc. II, 1, II, 10).[1]

Iam unde deflexit oratio nostra, eo revertatur. Euripides Heraclidarum fabulam ita constituit, ut quisque Atheniensium temporis imaginem facile agnoscere posset. Eurysthei enim iniusta postulata Lacedaemonii tum repetebant, laeso antiquo foedere iniusta pro iustis venditantes, ubique imperata sua expleri iubentes, totius Graeciae imperium consectantes. Quorum opes, ut olim Eurysthei, non esse contemnendas, poeta affirmat cum Pericle et Phormione bene consentiens (cf. Thuc. II, 89), nec deos deserendos, sed colendos virtutemque semper maximi aestimandam; hac sola ratione fore, ut cives superiores discedant. Pacis quidem amorem spirant poetae verba, eadem tamen cives adhortantur, ne opibus suis nimis freti hostem contemnant neve apparatus bellicos negligant, sed ut bellum parent et bello exorto omnibus viribus pro patria certent. Quapropter exempla summi animi repraesentat coniuncta Macariae et Iolai, Hylli et Demophontis, qui, quamvis aetate et genere inter se distent, omnes tamen in eo consentiunt, quod virtutem turpitudini praetulerint. Sic postea Athenis factum esse *ὑπό τε τῶν πρεσβυτάτων καὶ τῶν νεωτάτων καὶ μετοίκων, ὅσοι ὁπλῖται ἦσαν*, Thucyd. II. 13 narrat. Quid? quod Euripides eo processit patriae amoris, ut non solum

[1]) cf. Curtius, l. l. p. 349, Anmerk. 12.

Atheniensium Heraclidis similium animos victoriae spe inflaret, sed etiam Eurystheum urbi antiquum oraculum condonantem fingeret? Haec habui, quae in universum mihi dicenda essent. Iam videamus singula.

In prologo haec legimus:

ὁ μὲν δίκαιος τοῖς πέλας πέφυκ' ἀνήρ,
ὁ δ' εἰς τὸ κέρδος λῆμ' ἔχων ἀνειμένον,
πόλει τ' ἄχρηστος καὶ συναλλάσσειν βαρύς,
αὑτῷ δ' ἄριστος.[1])

His versibus Cleonem respici non tam Zirndorfero [2]) adstipulor, quam quibus res Atheniensium significari Firnhaberus [3]) bene coniecisse mihi videtur. Castigat enim poeta divites Athenienses, qui suis ipsius commodis, quam reipublicae prospicere malebant et, quo tempore bellum Peloponnesiacum ab utraque parte parabatur, timentes, ne in se absentes fortunasque suas hostium impetus fieret, Periclis consiliis maxime obstabant et non pauca proferebant ad invidiam illi conflandam (cf. Thuc. II. 65). Euripidis autem omnino proprium est, divites summo odio persequi et divitias consilio vacuas, plenas dedecoris et insolentis superbiae significare; ad Suppl. v. 875, Electr. 425, Herc. fur. 671, 744, Ion. 630 animum advertisse satis sit.

Quid? Eurysthei minae, quibus ille Heraclidas profugos ubique reposcit (cf. v. 21—23):

πόλιν προτείνων Ἄργος οὐ σμικρὰν φίλην
ἐχθράν τε θέσθαι, χαὐτὸν εὐτυχοῦνθ' ἅμα.

et ea, quibus Copreus Argivorum opes ostentat (cf. v. 275 — 284), nonne in Lacedaemonios quadrant et suam ipsorum *εὐτυχίαν* et Peloponnesiorum maximam manum iactantes? Eandem superbiam insolentiamque, qua Eurystheus utitur eiusque praeco, qui v. 137. se venisse

δίκαια πολλὰ δρῶν τε καὶ λέγειν ἔχων

et v. 143:

δικαίους εἶναι αὐτοὺς, καθ' αὑτῶν κυρίους κραίνειν δίκας . . .

affirmat, Lacedaemonii ante bellum exortum ostenderunt, quum non

[1]) Aristophanes, ut in Ranis initia tragoediarum Euripidearum perstrinxit, ita Heraclidarum initium non ipsissimis quidem verbis, colorem tamen Euripideum imitatus repetit v. 1427 seqq.:

μισῶ πολίτην ὅστις ὠφελεῖν πάτραν
βραδὺς φανεῖται, μεγάλα δὲ βλάπτειν ταχὺς
καὶ πόριμον αὑτῷ, τῇ πόλει δ' ἀμήχανον.

[2]) cf. Zirndorfer., de chron. fab. Eur. p. 32.

[3]) cf. Firnhaber., l. l. p. 29 adn.

cedendum esse putaverunt. Sed Pericles, *ἀνὴρ κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν χρόνον πρῶτος Ἀθηναίων λέγειν τε καὶ πράσσειν δυνατώτατος*, praeclara illa oratione, cuius singulos quosdam locos infra accuratius respiciam, Peloponnesiorum postulata non explenda esse conset (cf. Thuc. I, 140 seqq.). Megarensibus, inquit, commercii usum non permittemus, nisi Lacedaemonii nobis et sociis portus ac fines praecludere desinunt; civitates legibus suis vivant, si quae sunt, quae ante ictum foedus legibus suis vixerunt, ea quidem conditione, ut Lacedaemonii civitatibus Peloponnesiacis idem concedant. Ceterum res controversae ex foederibus constitutis iudicio diiudicandae sunt, nec bellum incipiemus nisi coacti. Dubitat tamen orator ipse, num hoc responso dato Lacedaemoniorum animi flectantur, eamque ob causam bellum omnibus viribus parandum esse existimat. Periclis sententia a maiore concionis parte comprobata, legati Spartam redierunt, bellum parabatur, multa oracula ferebantur (cf. Thuc. II, 8), factionum exardescebat ira et studium, aliis Pericli, quod restiterit, assentientibus, aliis eidem belli causam attribuentibus. Eodem ipso anno, ol. 87, 1, infelix bellum susceptum est; Thebani enim Plataeas invaserunt et haud ita multo post Lacedaemonii in Atticam irruperunt (cf. Thuc. II, 1, II, 10).[1])

Iam unde deflexit oratio nostra, eo revertatur. Euripides Heraclidarum fabulam ita constituit, ut quisque Atheniensium temporis imaginem facile agnoscere posset. Eurysthei enim iniusta postulata Lacedaemonii tum repetebant, laeso antiquo foedere iniusta pro iustis venditantes, ubique imperata sua expleri iubentes, totius Graeciae imperium consectantes. Quorum opes, ut olim Eurysthei, non esse contemnendas, poeta affirmat cum Pericle et Phormione bene consentiens (cf. Thuc. II, 89), nec deos deserendos, sed colendos virtutemque semper maximi aestimandam; hac sola ratione fore, ut cives superiores discedant. Pacis quidem amorem spirant poetae verba, eadem tamen cives adhortantur, ne opibus suis nimis freti hostem contemnant neve apparatus bellicos negligant, sed ut bellum parent et bello exorto omnibus viribus pro patria certent. Quapropter exempla summi animi repraesentat coniuncta Macariae et Iolai, Hylli et Demophontis, qui, quamvis aetate et genere inter se distent, omnes tamen in eo consentiunt, quod virtutem turpitudini praetulerint. Sic postea Athenis factum esse *ὑπό τε τῶν πρεσβυτάτων καὶ τῶν νεωτάτων καὶ μετοίκων, ὅσοι ὁπλῖται ἦσαν*, Thucyd. II. 13 narrat. Quid? quod Euripides eo processit patriae amoris, ut non solum

[1]) cf. Curtius, l. l. p. 349, Anmerk. 12.

Atheniensium Heraclidis similium animos victoriae spe inflaret, sed etiam Eurystheum urbi antiquum oraculum condonantem fingeret? Haec habui, quae in universum mihi dicenda essent. Iam videamus singula.

In prologo haec legimus:

ὁ μὲν δίκαιος τοῖς πέλας πέφυκ᾽ ἀνήρ,
ὁ δ᾽ εἰς τὸ κέρδος λῆμ᾽ ἔχων ἀνειμένον,
πόλει τ᾽ ἄχρηστος καὶ συναλλάσσειν βαρύς,
αὑτῷ δ᾽ ἄριστος.[1])

His versibus Cleonem respici non tam Zirndorfero [2]) adstipulor, quam quibus res Atheniensium significari Firnhaberus [3]) bene coniecisse mihi videtur. Castigat enim poeta divites Athenienses, qui suis ipsius commodis, quam reipublicae prospicere malebant et, quo tempore bellum Peloponnesiacum ab utraque parte parabatur, timentes, ne in se absentes fortunasque suas hostium impetus fieret, Periclis consiliis maxime obstabant et non pauca proferebant ad invidiam illi conflandam (cf. Thuc. II. 65). Euripidis autem omnino proprium est, divites summo odio persequi et divitias consilio vacuas, plenas dedecoris et insolentis superbiae significare; ad Suppl. v. 875, Electr. 425, Herc. fur. 671, 744, Ion. 630 animum advertisse satis sit.

Quid? Eurysthei minae, quibus ille Heraclidas profugos ubique reposcit (cf. v. 21—23):

πόλιν προτείνων Ἄργος οὐ σμικρὰν φίλην
ἐχθράν τε θέσθαι, χαὐτὸν εὐτυχοῦνθ᾽ ἅμα.

et ea, quibus Copreus Argivorum opes ostentat (cf. v. 275—284), nonne in Lacedaemonios quadrant et suam ipsorum *εὐτυχίαν* et Peloponnesiorum maximam manum iactantes? Eandem superbiam insolentiamque, qua Eurystheus utitur eiusque praeco, qui v. 137. se venisse

δίκαια πολλὰ δρᾶν τε καὶ λέγειν ἔχων

et v. 143:

δικαίους εἶναι αὐτούς, καθ᾽ αὑτῶν κυρίους κραίνειν δίκας . . .

affirmat, Lacedaemonii ante bellum exortum ostenderunt, quum non

[1]) Aristophanes, ut in Ranis initia tragoediarum Euripidearum perstrinxit, ita Heraclidarum initium non ipsissimis quidem verbis, colorem tamen Euripideum imitatus repetit v. 1427 seqq.:

μισῶ πολίτην ὅστις ὠφελεῖν πάτραν
βραδὺς φανεῖται, μεγάλα δὲ βλάπτειν ταχύς
καὶ πόριμον αὑτῷ, τῇ πόλει δ᾽ ἀμήχανον.

[2]) cf. Zirndorfer., de chron. fab. Eur. p. 32.

[3]) cf. Firnhaber., l. l. p. 29 adn.

rogantes, sed imperantes se praestarent, iudicio tamen diiudicandam controversiam non relinquerent (cf. Thuc. I, 140: *εἰρημένον γὰρ δίκας μὲν τῶν διαφορῶν ἀλλήλοις διδόναι καὶ δέχεσθαι ἔχειν δὲ ἑκατέρους ἃ ἔχομεν, οὔτε αὐτοὶ δίκας πω ᾔτησαν οὔτε ἡμῶν διδόντων δέχονται· βούλονται δὲ πολέμῳ μᾶλλον ἢ λόγοις τὰ ἐγκλήματα διαλύεσθαι καὶ ἐπιτάσσοντες ἤδη καὶ οὐκέτι αἰτιώμενοι πάρεισιν* et II. 141: *δικαίωσις πρὸ δίκης τοῖς πέλας ἐπιτασσομένη*). Quapropter Athenienses, ubi Demophontem praeconi superbo ita respondentem (cf. 284):

φθείρου· τὸ σὸν γὰρ Ἄργος οὐ δέδοικ᾽ ἐγώ

audierint, iniquarum rerum, quas Lacedaemoniorum legati postularint, memores Euripidi plausisse recte coniecerim.

Aliud temporis vestigium in iis, quae Iolaus choro interroganti, unde ipse venerit, respondet (cf. v. 84 seq.):

οὐ νησιώτην, ὦ ξένοι, τρίβω βίον,
ἀλλ᾽ ἐκ Μυκηνῶν σὴν ἀφίγμεθα χθόνα.

aptissime reperiri potest. Musgravius [1]) quidem et C. O. Müllerus [2]) homines insulanos contemptui habitos fuisse existimant. Sed neque apud Eurip. Androm. v. 14 Neoptolemus *νησιώτης* cum fastidio appellatus est, neque hoc loco Iolaus ita loquitur, ut insulanos contemnat. Immo potius coniectura illa Firnhaberi, qui poetam Periclis verborum (cf. I, 143: *Μέγα τὸ τῆς θαλάσσης κράτος. — εἰ γὰρ ἦμεν νησιῶται, τίνες ἂν ἀληπτότεροι ἦσαν;*) mentionem fecisse putat, mihi probatur. „Ista enim Periclis verba orationis partem finiunt, qua quantopere maris imperio Athenienses superent Peloponnesios, agriculturae potius, quam rei maritimae deditos, demonstratur. Mycenis qui venit Iolaus et ipse Peloponnesius est nec *νησιώτην βίον τρίβων*.“ [3]) Huc accedit, quod talia summi viri verba in omnium ore versari et poterant et solebant (cf. Plut. Per. 8). Firnhaberi quidem opinionem pluris esse momenti concedes, quam Roscheri [4]), qui Iolai responsum Corcyraeorum legatis accommodatissimum existimat. Corcyraei enim, quum insulam incolerent, quid causae erat, cur poeta illos insulanos esse negaret?

Iam praeconis verbis (cf. v. 166), quae temerarium esse, propter Iolaum *γέροντα τύμβον τὸ μηδὲν ὄντα* bellum suscipere, significant, Periclem respici verisimile est. Poeta id sane assecutus est, ut auditores,

[1]) cf. Musgrav. ad Androm. v. 14.
[2]) cf. C. O. Müller, Aegin. p. 193.
[3]) cf. Firnhaber, l. l. p. 40 adn.
[4]) cf. Roscher, l. l. p. 550.

quod primi Lacedaemoniorum legati postularant, in memoriam revocarent. Liceat Thucydidis verba repetere: non tam sperabant Lacedaemonii, Periclem exterminatum iri, quam id ipsum invidiam apud populum illi conflaturum esse, *ὡς καὶ διὰ τὴν ἐκείνου ξυμφορὰν τὸ μέρος ἔσθαι ὁ πόλεμος* (cf. I, 127).

Atque facile factum esse potest, ut multi Athenienses timerent, ne Periclis senectus nimis exiguam victoriae spem praeberet [1]); qui ut a metu respirarent, poeta Iolaum, Spartam a se Hercule adiuvante olim expugnatam esse, recordantem (cf. v. 741 seq.) et postea vires iuueniles recuperantem finxit.

Quae inde a. v. 198. usque ad v. 202. Iolaus in laudem Atheniensium protulerit:

. . . .
οὐκ οἶδ᾽ Ἀθήνας τάσδ᾽ ἐλευθέρας ἔτι.
ἀλλ᾽ οἶδ᾽ ἐγὼ τὸ τῶνδε λῆμα καὶ φύσιν·
θνήσκειν θελήσουσ᾽· ἡ γὰρ αἰσχύνη πάρος
τοῦ ζῆν παρ᾽ ἐσθλοῖς ἀνδράσιν νομίζεται,

non dubium est, quin eorum favorem conquisierint et invenerint. Poeta autem, si scripsit: Athenienses libertatem agendi pluris aestimant, quam vitam et mori, quam imperiosae urbis postulata exsequi malunt, cnm Pericle apud Thuc. I, 144, 4 seqq. nec non cum Corinthiis, qui in ipsis hostibus talem virtutem laudant (*ἔτι δὲ τοῖς μὲν σώμασιν ἀλλοτριωτάτοις ὑπὲρ τῆς πόλεως χρῶνται, τῇ γνώμῃ δὲ οἰκειοτάτῃ ἐς τὸ πράσσειν τι ὑπὲρ αὐτῆς. κ. τ. λ.* cf. Thuc. I, 70, 3), bene consentit.

Alterni sermones, qui inter Copreum et Demophontem fiunt (cf. v. 250—288), quantopere in tempore fabulae definiendo nos adiuvent, neminem fugere potest. Demophon Heraclidarum rem ad iudicium ferri iubet; sed praeco, tantum abest, ut hanc condicionem accipiat, ut dubio iure suo nixus bellum, quod se non cupere dissimulat (cf. v. 265):

οὐ βούλομαί σε πόλεμον Ἀργείοις ἔχειν,

tandem aperte indicat (cf. v. 275):

ἥξω δὲ πολλὴν Ἄρεος Ἀργείου λαβὼν κ. τ. λ.

Quin etiam Eurystheus exercitum iam collectum in Megara instruxit, ut Atheniensibus, si Copreo non obsecuti essent, bellum inferret. Ita fere factum est ante bellum Peloponnesiacum. Athenienses enim rem controversam iudicio disceptandam esse existimabant (cf. I, 144 *δίκας ἐθέλομεν δοῦναι κατὰ τὰς ξυνθήκας*). Sed Lacedaemonii, quum neque iudicium

[1]) cf. Roscher. l. l. p. 551.

ipsi postularent neque oblatum acciperent (cf. I, 140 *οὔτε αὐτοὶ δίκας πω ᾔτησαν οὔτε ἡμῶν διδόντων δέχονται.*), causa belli semper quaesita bellum minati sunt (*βούλονται δὲ πολέμῳ μᾶλλον ἢ λόγοις τὰ ἐγκλήματα διαλύεσθαι καὶ ἐπιτάσσοντες ἤδη καὶ οὐκέτι αἰτιώμενοι πάρεισιν.*).

Atque ut Eurystheus exercitum instruxerat, ita Lacedaemonii omnem et suam iuventutem et sociorum armaverant et omnia, quaecunque ad bellum parandum necessaria videbantur, paraverant; nam neque Eurystheus neque Lacedaemonii, Athenienses, qua essent libertate, morem gesssuros esse, sperabant. (conferas velim Demophontis verba: — *οὐ γὰρ Ἀργείων πόλειὑπήκοον τήνδ' ἀλλ' ἐλευθέραν ἔχω* v. 287).

Mycenarum autem vires haud parvi esse aestimandas, non ignarus (cf. v. 290):

μάλα δ' ὀξὺς Ἄρης ὁ Μυκηναίων,
ἐπὶ τοῖσι δὲ δὴ μᾶλλον ἔτ' ἢ πρίν.

chorus Demophontem admonet, ut omnia ad bellum prius paret, quam Argivorum exercitus fines transeat (cf. v. 288):

ὥρα προνοεῖν, πρὶν ὅροις πελάσαι
στρατὸν Ἀργείων·

Quod chori consilium rex ita secutus est, ut populum ad concilium vocaret, exercitum pararet, speculatores emitteret, deos consuleret (cf. 335—340). Sed chorus, etsi Argivorum timorem non celat, Athenas Argis inferiorem esse negat (cf. v. 362 *πόλις οὐδὲν ἐλάσσων Ἄργους*) et Iolaus Eurystheum adeo ignavum vocat, qui ne hastam quidem sustinere possit cf. v. 744 — *ἐπεί τοι καὶ κακὸς μένειν δόρι*).

In his omnibus locis poetam temporis sui imaginem oculis nostris subiecisse, quis est, qui non cognoscat? Athenienses enim, quum plurimas civitates a Lacedaemoniorum partibus stare hostemque copiis pedestribus multum valere non ignorarent, a Pericle tamen, qui, quantopere Atheniensium opes Lacedaemoniorum superarent et timoris quam exigua esset causa, praeclara illa oratione (cf. Thuc. I, 141 seqq.) demonstravit, ad summam victoriae spem excitatos esse liquet. Iam, quae ducis cuiusque peritissimi esse Demophon dicit et ipse fecit (cf. v. 389):

ἥκει στράτευμ' Ἀργεῖον Εὐρυσθεύς τ' ἄναξ
ἐγώ νιν αὐτὸς εἶδον. ἄνδρα γὰρ χρεών,
ὅστις στρατηγεῖν φησ' ἐπίστασθαι καλῶς,
οὐκ ἀγγέλοισι τοὺς ἐναντίους ὁρᾶν,

quantopere cadunt in Periclem ad omnia, quae ad bellum paranda erant, et animo et consilio paratissimum!

Praecipue denique extrema fabula satis exhibet, quod in tempus fabulae supra constitutum intendat. Poeta enim fabulam, quae Eurystheum ab Iolao captum et occisum esse tradit (cf. supra p. 9.), non secutus hostem vivum in scenam produxisse mihi videtur, ut Lacedaemonios, quam essent ingratis animis, ostenderet et Atheniensibus felicem instantis belli exitum tamquam praediceret. Heraclidae, quamquam se Atheniensibus semper gratiam habituros et relaturos esse promiserant datisque dextris confirmarant (cf. vv. 307 seqq. 333, 586), beneficiorum tamen immemores in Eurystheum, qui captus ne interficeretur, Atheniensium leges vetabant (cf. vv. 964, 966), durissimos ac crudelissimos se praestabant. Quid vero? Nonne Lacedaemonii eandem iniuriam fecerunt, quum adversus Athenienses, quibus propter auxilium maioribus allatum maximam debebant gratiam, bellum illud luctuosissimum pararent? — Eurystheus autem Atheniensibus, quod vitae suae pepercerint, antiquum condonat oraculum: fore, ut ipse Pallenae ante portas Minervae sepultus Heraclidarum posteris, si quando redituri sint, sit perniciei (cf. vv. 1026 seqq.) Quod oraculum quin verum fuerit, dubitari nequit, praesertim quum Lacedaemonii, bello exorto agros Atticos longe lateque populantes, eam ipsam regionem, qua maiores supplices consedisse ferebantur, semper evitarent testibus Diod. Sic. XII, 45. Schol. Soph. Oed. Col. v. 701. Atque si quis Euripidem Eurysthei oraculum illi Delphico, quod Lacedaemoniis fabebat, quodam modo opposuisse dixerit, recte iudicarit. Thucyd. (cf. II, 54) enim narrat, Lacedaemoniis, bellumne movendum esset, oraculum consulentibus deum respondisse, eos, qui omnibus viribus bellum gererent, victores fore, seque ipsum iis opem laturum. Quod oraculum, quum Lacedaemoniorum partibus faveret Athenisque fortasse in omnium ore versaretur, ne cives supra modum timerent, Euripides Eurystheum ita loquentem induxit. Addere liceat, quae Firnhaberus recte coniecerit: „satis apparet, de Lacedaemoniorum in Atticam parata irruptione loqui poetam, cuius timorem civibus depellat. Qui si ita scripsisset, saepius iam factis illis irruptionibus, quas in Atticam inde ab initio belli Peloponnesiaci quotannis fere fuisse constat, stulte oraculo usus esset, quod quominus verax haberetur, eventus prohiberet. — At non usus est poeta praedictione ex eventis ficta, sed vera, qua nihil facilius excogitari poterat. Neque enim ex alitis involatu, neque ex magno istius doctrinae studio talia auguratus est poeta, sed habuit alia signa illis non incertiora, ex temporum natura ac ratione ducta, quibus Heraclidarum posteros h. e. Lacedaemonios bellum vastatione agri Attici incepturos esse, quilibet tum Atheniensis providebat, quia et Lacedaemonii

hoc bellandi genere ab antiquissimis temporibus uti consueverant, et Pericles imperaverat, ut damno inde fortasse exorituro abunde prospicerent.“

Haec potissimum habes, quae, quo tempore Euripides docuerit fabulam supra statuimus, affirment, neque totius fabulae indolem ac naturam et singulos locos passim dispersos cum tempore, quod bello Peloponnesiaco est proximum, **ol. 87, 1**, bene conspirare negaveris.

Caput tertium.

De fabulae compositae arte.

§. 1.

Quae sit summa fabulae sententia.

Quales Atheniensium res publicae fuerint tempore, quo poeta fabulam docuit, supra satis exposuimus. Quid mirum, quod poeta tanto in rerum discrimine Heraclidarum fabulam tractandam sibi elegit, ut civium suorum animos erigeret digito demonstrans Heraclidas, qui tot laboribus superatis tandem salutem diu quaesitam repperissent? Iam summam sententiam, qualis in hac fabula appareat, persequamur.

Firnhaberus [1]) summam fabulae sententiam in eo carmine, quod chorus victoriae nuntio laetus canit (cf. v. 892 seqq.), propositam vult et premit imprimis haec verba: *Τιμᾶν θεοὺς, μὴ ἔχειν πρὸ δίκης ὕβριν φρόνημά τε ἀκόρεστον.* Equidem vero Hartungio [2]), qui universum drama in sententia v. 625:

ἁ δ᾽ ἀρετὰ βαίνει διὰ μόχθων

versari dicit, adstipulor. „Hoc tenens neque desiderabis quicquam neque alienum quicquum admistum esse putabis, sed rectissime aptissimeque omnia instituta esse videbis.“ Neque negari potest, totam fabulam a poeta ita esse compositam, ut cum illa sententia prorsus congruat. Nimirum recte adnotavit Firnhaberus, illis chori verbis praecepta tempori

---

[1]) cf. Firnhaber, l. l. p. 73 adn.
[2]) cf. Hartung, Eurip. restit. I. p. 311.

tragoediae aptissima dari; sed neque talia praecepta illa sententia, quam Hartungius fabulae summam proposuit, iam per se contineri negaveris, et chorus ipse, ubi victoriam ab Eurystheo et Argivis reportatam esse audivit, summam fabulae sententiam, virtutem ex omnibus laboribus et periculis superiorem discedere, ita probatam videt, ut in eo ipso carmine, ex quo Firnhaberus summam sententiam constituit, virtutis laudes repetat. Huc accedit, quod sententia, qualem nos proposuimus, cum fabulae tempore bene congruit. Poeta enim, quum Heraclidarum sortis felicem exitum ante oculos civium suorum poneret, eo tendisse mihi videtur, ut praediceret, Athenienses ex bello instante, quanticuñque casus futuri sint, feliciter exituros esse, quandoquidem pietatis iustitiaeque viam ingrediantur. (cf. v. 901):

ἔχεις ὁδόν τιν᾽, ὦ πόλις, δίκαιον·
οὐ χρή ποτε τόδ᾽ ἀφελέσθαι
τιμᾶν θεούς.

Iam liceat inquirere, qua arte poeta sententiam supra propositam progrediente fabula persecutus sit. Hercule mortuo, Heraclidae, quos quin occidere cuperet et fugientes consectaretur, se suae utilitatis causa non potuisse, Eurystheus ipse profitetur (cf. v. 1000):

κείνου δ᾽ ἀπαλλαχθέντος οὐκ ἐχρῆν μ᾽ ἄρα
μισούμενον πρὸς τῶνδε καὶ ξυνειδότα
ἔχθραν πατρῴαν, πάντα κινῆσαι πέτρον,
κτείνοντα κἀκβάλλοντα καὶ τεχνώμενον;
τοιαῦτα δρῶντι τἄμ᾽ ἐγίγνετ᾽ ἀσφαλῆ.

e patria eiecti ex alia in aliam urbem profugere coguntur. Neque Athenis quidem se salutem reperturos esse pro certo habent. Hyllus enim natuque maiores fratres longius profecti sunt, ut novas sedes hinc fortasse expulsis quaerant (cf. v. 45 – 48). Iam praeco iste consiliorum nefariorum, quae Eurystheus in Herculem eiusque liberos cepit, conscius apparet, ut Heraclidas reducat, et eo progreditur audaciae, ut deorum hominumque leges irridens supplicibus manus imponat. Quorum omnium laborum ac periculorum Iolaus et Alcmena senectute graves participes sunt, qui uterque negant, fore, ut se vivis supplices abducantur: (cf. v. 66

οὐκ ἂν γένοιτο τοῦτ᾽ ἐμοῦ ζῶντός ποτε

et v. 650:

οὐκ ἔστ᾽ ἄγειν σε τούσδ᾽ ἐμοῦ ζώσης ποτέ.).

Sed Heraclidarum angustiae ac difficultates augentur tristi Demophontis nuntio, Argivorum regem magno cum exercitu adesse, magis etiam maximeque, quod oraculum, res non aliter felicem exitum habituras

esse, nisi virgo nobili genere orta diis immoletur, editum est. Quod quum rex sibi impedimento esse, quominus supplices servet, ipse profiteatur, Heraclidae salutis spe praecisa ut nautae e portu eiecti denuo tempestatibus traduntur (cf. v. 427—435). Iolai consilium, pro ceterorum salute semetipsum in Argivorum potestatem tradendi, quamvis sit generosum, (cf. v. 464):

γενναῖα μὲν τάδ' εἶπας, ἀλλ' ἀμήχανα.

rex accipere non potest, si quidem Eurystheus non tam senem, quam Heraclidas tradi iubeat. Senis autem virtutem virtus vincit Macariae. Quae, simulatque rerum implicationem audivit, mortem neque sorte destinatam quidem, sed voluntariam subire parata diis se devovet, ut ceteri serventur. Sic quum singulas personas neque labores neque pericula neque mortem detractantes atque omnes, iuvenem senem, virginem anum, supplices hospites, virtute inter se certantes conspiciamus, Hartungii verbis, actibus singulis singulas exhiberi *ἀριστείας*, assentiamur necesse est.

Sed virtutem praemia prosequuntur. Macaria enim voluntaria morte sua sibi apud posteros gloriae immortalitatem comparavit.[1]) cf. v. 621:

εὐδόκιμον γὰρ ἔχει θανάτου μέρος
ἁ μελέα πρὸς ἀδελφῶν καὶ γᾶς,
οὐδ' ἀκλεής νιν
δόξα πρὸς ἀνθρώπων ὑποδέξεται.

Hyllus autem et Iolaus, qui iuveniles vires recepit, Atheniensibus adiuvantibus ab Eurystheo Argivisque splendidissimam victoriam reportant. Quo fit, ut Heraclidis tandem superatis maximis aerumnis in patriam reditus pateat. (cf. v. 873):

ὦ τέκνα νῦν δὴ νῦν ἐλεύθεροι πόνων,
ἐλεύθεροι δὲ τοῦ κακῶς ὀλουμένου
Εὐρυσθέως ἔσεσθε καὶ πόλιν πατρὸς
ὄψεσθε, κλήρους δ' ἐμβατεύσετε χθονὸς
καὶ θεοῖς πατρῴοις θύσεθ', ὧν ἀπειργμενοι
ξένοι πλανήτην εἴχετ' ἄθλιον βίον.

Eurystheus vero pugna captus et ab Alcmena ad turpissimam mortem destinatus, iustam improbitatis et superbiae mercedem fert, quo magis virtutis praestantia eluceat. (cf. v. 906):

[1]) De sententia philosophica multis fabulis Euripideis inserta, virtuti in vita praestitae ac certamine et aerumnis potissimum probatae etiam apud posteros remanere immortalitatem, conferas velim Winiewski, prooem. ind. lect. 1864. p. 18 seqq.

— ἐπίσημα γάρ τοι
θεὸς παραγγέλλει
τῶν ἀδίκων παραιρῶν
φρονήματος ἀεί.

et v. 959: *καὶ κερδανεῖς ἅπαντα· χρῆν γὰρ οὐχ ἅπαξ*
θνήσκειν σὲ πολλὰ πήματ' ἐξειργασμένον.

Denique in extrema fabulae parte Euripides propositam sententiam rursus illustrasse mihi videtur, si quidem Eurystheus Atheniensibus, qui, qua fuerint religione, vitam ipsi concesserint, oraculum patefacit propitium (cf. v. 1026):

— τήνδε δὲ πτόλιν
ἐπεὶ μ' ἀφῆκε καὶ κατῃδέσθη κτανεῖν
χρησμῷ παλαιῷ Λοξίου δωρήσομαι κ. τ. λ.

Sed haec hactenus; satis enim ostendisse mihi videor, sententiam philosophicam, quam ὁ *ἐπὶ σκενῆς φιλόσοφος* in fabula componenda sibi proposuerit summam, secundum artis leges et regulas bene tractatam et usque ad fabulae finem esse absolutam. Reliquum est, ut, qua arte poeta singulas tragoediae partes composuerit et singularum personarum mores atque ingenia depinxerit, exquiramus.

§. 2.

Qua arte poeta fabulam composuerit.

Neminem tragicorum principum inde ab Aristophane et Aristotele usque ad hanc aetatem tantam vituperatorum et laudatorum catervam, quantam Euripidem, nactum esse scimus. Viri docti omnium temporum de arte, quam Euripides in componendis fabulis secutus sit, in diversissimas et saepe contrarias opiniones abierunt. Eadem iudiciorum discrepantia ac diversitas in Heraclidarum fabula invenitur. Sed tantum abest, ut laudatoris aut vituperatoris provinciam temere suscipiam, ut, quae bene instituerit poeta, aperte probem, et in quibus peccaverit, nudis verbis reprehendam.

Si qui, velut Schlegelius [1]), vir doctissimus, idem iniquissimus fabularum Euripidearum censor, nostram fabulam non dignam fuisse contendunt, quae Atheniensibus probaretur, nisi quod illis blandiretur, non recte disputasse mihi videntur. Nam si qua fabula temporis sui rationem

[1]) A. W. Schlegel, Vorlesungen über dramat. Kunst und Litterat. I. p. 275 ita disputat: „Die Herakliden und Schutzgenossinnen sind wahre Gelegenheitstragödien und konnten wohl nur als Schmeichelei gegen die Athener Glück machen.“

habet, inde non sequitur, ut nullius sit pretii vituperationeque digna. Res publicae enim cum arte arctissimo vinculo coniunctae sunt; quocirca priores in arte tamquam in speculis cernantur et agnoscantur necesse est. Imprimis autem dramati antiquitus propositum est, ut patriae inserviat seu civium mores emendado seu animos eorum ad aliquod facinus excitando; idque fieri potest salvis artis legibus.[1]) Quod quidem nostrates Schillerus et Goetheus, quibus neminem fere poetarum recentioris aevi summum artis scenicae fastigium propius attigisse constat, mirum in modum comprobant.[2]) Comprobant Aeschylus, Sophocles, Euripides, Graecorum tragoediae principes, qui omnibus fere tragoediis laudes Atheniensium eorumque facinorum memoriam intexuerunt. Ne longus sim, Aesch. Persas (v. 229 seqq.) et Eumenidas (fin.) et Soph. Oedipum Coloneum (668—720) commemorasse satis habeo. Euripides autem et hac fabula et Supplicibus, Ione, aliis patriam suam respiciens iure est laudandus, non vituperandus. Quam in rem Lycurgus orator de Euripide recte iudicat (cf. c. Leocr. p. 160, §. 100): „διὸ καὶ δικαίως ἄν τις Εὐριπίδην ἐπαινέσειεν, ὅτι τά τε ἄλλα ὢν ἀγαθὸς ποιητὴς καὶ τοῦτον τὸν μῦθον προείλετο ποιῆσαι, ἡγούμενος κάλλιστον ἂν γενέσθαι τοῖς πολίταις παράδειγμα τὰς ἐκείνων πράξεις, πρὸς ἃς ἀποβλέποντας καὶ θεωροῦντας συνεθίζεσθαι ταῖς ψυχαῖς τὸ τὴν πατρίδα φιλεῖν.“ Quae verba, quamquam de Erechtheo Euripideo proferuntur, eodem iure in Heraclidas quadrant.

De prologis quoque Euripideis inter viros doctos multum est disputatum; prologum enim alii omnibus artis scenicae legibus officere, alii arti scenicae summum fastigium imposuisse demonstrant. Ad posteriorem opinionem Lessingius [3]), vir ingeniosissimus idemque criticus sagacissimus, propendet eamque gravissimis causis defendit. Ab adversariorum partibus stant magis minusve Iacobsius, Schlegelius, Hermannus, Bernhardyus [4]), Firnhaberus [5]). Sed sive Lessingii, sive aliorum opinioni assentiaris, id quidem constat, Heraclidarum fabulae prologum esse bene constitutum neque nimis longum neque, quod in aliis prologis Euri-

[1]) Verissime Kleinius, Geschichte des Dramas, I, p. 356 dicit: „Jede ächte Poesie, das ächte Drama voraus, ist nichts wie Politik, und nichts wie Zeitpolitik, aber in poetischer Gestalt, als Ideenpoesie, nicht in Styl und Ton von Zeitungsartikeln. — Das attische Staatswesen war so innig mit der attischen Poesie, insbesondere mit der dramatischen verwebt, wie die grossen attischen Dichter mit ihrem Staatswesen. u. s. w.“

[2]) cf. Raumer, Vorlesungen über die alte Geschichte, p. 413 f.

[3]) cf. Lessing. Hamb. Dramat. I, 48. 49.

[4]) cf. Bernhardy., Grundr. d. gr. Litt. P. II. p. 394, ubi vid. prior.

[5]) cf. Firnhaber., Jahn's Archiv 1851, p. 545 ff.

pideis desideratur, actione destitutum. Definitione enim Aristotelica (cf. poet. XII): ἔστι δὲ πρόλογος μὲν μέρος ὅλον τραγῳδίας τὸ πρὸ χοροῦ παρόδου in mentem revocata, prologum versu 47. nondum esse finitum, sed ad versum 73., ubi chorus orchestram intrat, pertinere concedes. Hoc igitur prologo poeta non solum templum, in quo, et causas, cur Heraclidae ad aram consederint, et personas, quae partes acturae sint, probas improbas, insidiantes innocentes, earumque condicionem aut superbam aut miseram ante oculos spectatorum exponit, sed etiam illorum misericordiam atque maiorem rerum, quae eventurae sint, exspectationem excitat.

Iam audiamus, quae Schlegelius (cf. Vorlesg. üb. dram. Kunst und Litt. I, p. 260.) de fabula iudicat: „Die Heracliden sind ein gar dürftiges Stück und besonders gehen sie kahl aus. Von der wirklich vollbrachten Opferung der Macaria hört man nichts weiter: wie der Entschluss ihr selbst keine Ueberwindung zu kosten scheint, so machen auch die Andern wenig Umstände mit ihr. Der athenische König Demophon kommt nicht wieder, ebenso wenig der verjüngte Iolaus, des Hercules Gefährte und Pfleger seiner Kinder; Hyllos, der heldenmüthige Heraclide, kommt gar nicht zum Vorschein; so bleibt am Ende Niemand als Alcmene, die sich mit dem Eurystheus herumzankt.“

Quae verba, quamvis multum veri contineant, tamen nimis severa mihi videntur. Actionem enim celeriter procedere usque ad id momentum, quo Macaria pro suorum hospitumque salute voluntariam mortem subitura sit, quisque concedet neque personas, quas poeta in scenam produxerit, Aeschyleis personis animi magnitudine excellentibus pares esse neque chorum ad eandem gravitatem, quae in Aeschyli chori canticis inveniatur, assurgere, facile negabit. Quin etiam Kleinius [1]), qui Euripidis vitiis saepe saepiusque insectandis delectatur, facere non potest, quin Aeschyli mentem inesse nostrae fabulae profiteatur. Sed si V. D. Euripidis Heraclidas esse imitationem fabulae Aeschyleae, nescio an Supplicum, inde colligit, praepropere iudicasse mihi videtur. An noster, quo erat summo ingenio atque indole, tales personas, quales virtute et

[1]) cf. Klein, Gesch. d. Dram. I. p. 469: „Trotzdem weht ein äschyleischer Athem durch das Drama, dem vielleicht auch eine Tragödie desselben Inhalts von Aeschylus vorlag, wenn dessen Schutzflehende nicht selbst diese Vorlage waren, die den Figuren des Euripides einen heroischen Ton und Schwung mittheilte, den seine Helden in der Regel nicht zu erstreben pflegen. Jolaus, Alcmene und selbst Eurystheus ist davon durchdrungen, der nicht ohne Grösse dem Tod entgegengeht.“

animi magnitudine excellentes in fabulis suis depinxit et descripsit, per se ipsum exemplis non propositis fingere non potuit?

Negare nolo, continuae et absolutae actionis laudem nostrae fabulae non esse attribuendam. Nam quum in omnibus fabulis, quibus revera unitas actionis inest, etiam primaria persona adesse debeat, quae una inter omnes emineat, cuiusque in factis summa actionis versetur [1]), in nostra, quae persona primarias partes agat, haud facile inveneris. Neque enim Iolaum, qui in pugnam profectus in scenam non redit, neque Macariam, quae uno tantum actu primarias partes habet, neque Alcmenam, quae in priore fabula in scenam non prodit, neque ceterorum quemquam primas agere contendas. Supplicibus autem ipsis poeta nullas fere partes attribuit. Quae res, si nos offendit, eo minuitur, quod poeta pro omnibus Heraclidis duas personas substituit, et in priore quidem fabula Iolaum, in posteriore Alcmenam, quarum personarum utraque cum Herculis posteris arctissimo vinculo coniuncta erat. Atque Euripides non sine consilio egisse videtur, quum Heraclidarum ultionem, quippe in qua fabulae argumentum versetur, inter duas has personas ita diviserit, ut Iolaus Eurystheum capiat, Alcmena eum occidat. Quo quidem modo fit, ut actionis unitas aliqua ex parte restituatur. [2])

Iam alia sunt monenda. Summa enim actionis non in scenis agitur, sed per nuntios renuntiatur. Sed quod ad Macariae mortem attinet, scena non erat locus, ubi virgo, quae *ἐν γυναικῶν χερσίν* (cf. v. 566) vitam profundere volebat, coram viris immolanda erat, ne dicam, Graecorum tragoediam minus corporis, quam animi malis exprimendis esse efficacem. [3]) Deinde poeta, quum pugnam inter utrumque exercitum factam non in scena fingeret, sed per nuntium significaret, spectatoribus, quanta erant elegantia, ut turbulentissimas has scenas aspicere non possent, sane satisfecerit. Denique idem, etsi non est laudandus, quod huic quoque fabulae deorum apparationes, scilicet Herculis et Hebes, intexuerit, tamen bene sibi consuluit, quod deos ipsos non ex machina, id quod saepius ab Euripide ad fabulam perficiendam factum esse nemo nescit, in scenam produxerit, sed nuntium, quomodo Iolaus iuvenilem speciem recuperarit, narrantem finxerit.

Sed si prior fabula nos summa exspectatione tenet, posterior multum delectationis perdit neque cum priore arcte cohaeret. Recte Bernhardyus (cf. Grundr. d. griech. Litt. II, 2 p. 427) dicit: „Der Schluss, der um die

[1]) cf. Hermann, de trag. et epic. poes. comment. c. XXII.
[2]) cf. Zirndorfer, l. l. p. 29.
[3]) cf. Süvern, Abhdl. d. Berl. Akad. 1824.

Gegensätze von Eurystheus und Alcmene sich dreht, zeigt, dass der Dichter kalt geworden war.“ Nuntio enim allato, Hyllum cum exercitu rediisse, Alcmena e templo evocatur et de multis quidem rebus certior fit, sed de instante Macariae morte nihil comperit. Atqui Macaria Alcmenae curae demandata erat (cf. v. 41). Quonam modo factum est, ut Alcmena puellam e templi penetralibus decedere pateretur neque eam sequeretur reduceretque? Illa autem in scenam progressa ne verbo quidem Macariae meminit, nedum de ea sibi erepta queratur. Omnino aliquid offensionis habet, quod Macariae, ubi de scena abiit, nulla amplius fit mentio, nisi quod vv. 821 seq.

[μάντεις] ἔσφαζον, οὐκ ἔμελλον, ἀλλ' ἀφίεσαν
λαιμῶν βροτείων εὐθὺς οὔριον φόνον.

illius immolatio breviter suppressoque ipsius nomine a nuntio commemoratur. Ex his autem versibus, quamvis sint obscuri, tamen Macariae ne id quidem, quod precata erat, ut mulierum in manibus moreretur, contigisse, satis elucet. — Iam mirum est, quod Euripides *τραγικώτατος* (cf. Aristot. Poet. XIII, 10), qui occasionem auditorum misericordiam excitandi omnino non praetermisit, id quod Iphigen. Aulid., Hecuba, Phonissae testantur, Macariae caedem non amplius describit. Cognita autem Macariae immolatione Alcmenae crudelitas in Eurystheum praestita melius niteretur et plus excusationis haberet posteriorque fabula cum priore arctius cohaereret. Quare Hartungius, qui, cur poeta Macariae immolationem non amplius commemorarit, hasce causas affert (cf. Eur. restit. p. 308): „Neque enim luctibus locus dabatur in summa eventus felicitate, et generositatem animi, qua mortem passura erat, ipsa praesens satis ostenderat, et magnifice quaecunque ad honorem defunctae pertinebant, iam antequam abiret, praestituta erant“, mihi quidem non suffecerit. — Dixerit fortasse quispiam, extremam fabulam, si omissa esset, non desiderari, dummodo nuntius, qui res in pugna gestas narrat, simul Eurystheum occidisse indicasset. Et re vera Alcmenae ingenium in hostem captum insolentius, quam feminam decet, praestitum nos minime delectat. Sed poeta hanc scenam procul dubio eo consilio adiecit, ut auditorum miserationem commoveret, quum Eurystheus ipse, qui etsi oraculo monitus sibi pereundum esse, si Herculis posteros persequeretur, (cf. v. 1036 seqq.) tamen, ut tuto vivere possit, iis insidiatur eaque re interit, aliquid tragici habeat. Deinde vero poeta, ut supru satis expositum videtur (cf. p. 25), in adiicienda hac scena temporis sui rationem habere voluit.

Denique unum, in quo haesito, animum advertas velim. Macaria

enim non prius e templi penetralibus evadit, quam Demophon ad Iolaum et chorum illud oraculum detulit. Si illa se Iolai gemitu ait excitatam esse, ut neglecto virgineo pudore, quem ipsa v. 476 virginum optimum decus esse existimat, e templo prodeat non iussa, qui factum est, ut Iolai clamoribus antea vehementioribus iisdemque in templo auditis (cf. v. 647) non excitaretur? Dicit quidem Macaria (cf. 480):

ἀλλ' εἰμὶ γάρ πως πρόσφορος,

sed talis excusatio levis appellanda est. Itaque Firnhabero [1]) assentior, cui Euripides rem suam fortasse melius instituisse videtur, si fabulam secutus esset, qua ex Heraclidis ut unam mactarent Athenienses, oraculum dixisse narrat Schol. ad Arist. Equit. 1151 (cf. supra p. 10). Non defuerunt, qui totum Macariae sacrificium omissum voluerint [2]) praesertim quum in posteriore fabula, ut modo notavimus, semel tantum et obscuris quidem verbis eius mentio fiat. Sed nemo negabit, poetam, quod Macariam in scenam produxerit, quum auditorum misericordium captasse tum summam sententiam, quae fabulae insit, mirum in modum illustrasse.

§. 3.

De personarum moribus et indole.

Ex Heraclidis, a quibus haec tragoedia denominatur, una quidem Macaria in scena partes agit, sed summam admirationem nostram excitat. Tantam enim animi magnitudinem praebet, quantam nusquam, nisi in Iphigeniis et Polyxenis reperimus Euripideis. Iolai lamentis excitata ex templo prodit et, quid mali senis animum mordeat, quaerit. Cognita autem causa, pro suis mortem occumbere ne paulum quidem dubitat et causas, cur libenter moritura sit, ea affert oratione, quae nihil nisi summam animi generositatem spirat. Quam in rem Kleinius recte disputat (cf. Gesch. d. Dram. I. p. 469): „Das heroische Wesen, das diese Tragoedie auszeichnet, erreicht seine Verklärungsweihe in Makaria's Selbstaufopferungs-Entschluss, den sie, aus dem Tempel schreitend, in einer rührend feierlichen Rede verkündet.“ Quid enim sibi turpius esse, ait, quam urbe ad pericula sustinenda paratissima mortem fratribus salutarem effugere? Nihil dedecore sibi detestabilius, servitute nihil esse foedius. Turpem autem mortis fugam sibi Herculis filiae omni morte esse peiorem. Praeterea quid se ipsam ad vivendum magnopere invitet?

[1]) cf. Firnhaber, l. l. p. 63 adn.
[2]) cf. Zirndorfer, l. l. p. 28.

Quid spei? quid solatii? urbe enim capta niholominus fore, ut ipsa aut ad mortem rapiatur aut in fuga creberrimos aliorum sermones audiat ignaviam obiicientium ignavisque supplicibus auxilium denegantium. Occisis autem fratribus nullam amplius sibi fore spem vitam feliciter degendi, quia nemo ipsam in matrimonium ducturus sit. Qnibus de causis dignitate potius cadendum esse, quam vivendum cum ignominia (cf. vv. 500—535). Tantam virginis virtutem divinam neque chorus non admirari potest et Iolaus illa verba Hercule patre dignissima significat. Etiam magis delectamur, quod Macaria 'se re ad sortem non revocata pro suis sua sponte morituram esse affirmat (cf. v. 547—552). Sed poeta, etsi virginem natura tamquam heroica praeditam finxit, eandem virgineo pudore et animi quodam motu vacuam esse noluit. Pudore enim impulsa, illa precatur, ne coram viris, sed ut in mulierum manibus animam efflet (cf. v. 565 seq.). Oratione autem et amoris significationum plena et mollissimis verbis expressa suos valere iubet, aliis alios commendat, sepulcrum, quod sibi pro genere suo morti se devoventi debeatur (cf. v. 586—590), in patria esse cupit, mortem denique sibi pro liberis et pro iuvenili aetate praemium fore et ornamentum, simulque aerumnarum certissimum remedium [1]) (cf. v. 591—597).

Iolaus a poeta senex tum alta et divina quadam mente praeditus, tum, quae est senum ratio, loquax fingitur. Idem, sicuti Herculis laborum socius fuit, cuius rei magna cum voluptate meminit (cf. vv. 8, 215, 740), ita Heraclidarum rebus addictum se praestat et ab Eurysthei Copreique superbia et insidiis defendit. Quin etiam eo progreditur amoris, ut pro Heraclidarum salute in Argivorum potestatem se tradi cupiat (cf. v. 451 seqq). Non possum, quin contentioni inter Iolaum et Copreum apud Demophontem regem factae mentionem iniiciam. Non equidem sum nescius, permultis in aliis Euripideis fabulis eiusmodi rixas inveniri eo consilio insertas, ut Atheniensium populi disceptationibus magnopere delectantis studio satisfacerent. Attamen nullum facile reperias exemplum, quo poeta disceptantium mores et ingenium melius illustrarit. Iolaus autem, quum gravissimis causis afferendis

[1]) cf. v. 595: — τὸ γὰρ θανεῖν
κακῶν μέγιστον φάρμακον νομίζεται.
Haec Macariae verba habent opinionem apud veteres vulgatam: mortem esse omnium aerumnarum ultimum et certissimum remedium. cf. Aesch. Suppl. 802 τὸ γὰρ θανεῖν ἐλευθεροῦται φιλαιακτῶν κακῶν· et Anacreon. fragm. 51, Bergk: ἀπό μοι θανεῖν γένοιτ'· οὐ γὰρ ἄλλη λύσις ἐκ πόνων γένοιτ' οὐδαμὰ τῶνδε.; Nägelsbach, Nachhom. Theol. p. 392. plura testimonia affert.

Coprei sermones retundat atque Demophontem tamquam iudicem eo adducat, ut supplices tueatur iisque consulat, non solum Heraclidarum amore ardens, sed etiam eximio ingenii acumine praeditus apparet (cf. supra p. 3). Unum autem est, in quo tragica musa e fastigio suo descendisse mihi videtur: Iolaum enim dico qualem poeta in pugnam profecturum spectatorum oculis subiecit. Senex, quem antea a praecone humi prostratum et γέροντα τύμβον vocatum neque tam fortem viderant, ut Macariam ad mortem comitaretur, qui denique se γέροντα εἶναι κούδαμῶς ἐρρῶσθαι (cf. v. 636), laeto quodam de Hylli adventu ita reviviscit, ut pugnae interesse velit. Quod consilium nuntius iure ludibrio habet stultumque appellat (cf. v. 682 ἥκιστα πρὸς σοῦ μῶρον ἦν εἰπεῖν ἔπος). Tota autem scena plus exhibet, quod mireris. Vires enim Iolaum ita deficiunt, ut, quamvis ne ipse quidem arma in humeros suos susceperit, tamen infantis instar a famulo in pugnam ducendus sit. In itinere ipso verborum amantiorem, quam itineris se praestat. Fuerunt, qui poetam dicerent hanc scenam tragoediae inseruisse, ut tempus, quod ad pugnam ab utraque parte parandam opus esset, nancisceretur.[1]) Sed haec sententia nimis arcessita mihi non probatur; equidem potius causam, cur Euripides Iolaum infirmissimum finxerit, in eo invenisse mihi videor, quod ille spectatorum animos postea nuntio de rebus Iolai inopinatis allato summa admiratione implere voluerit. Ceterum hac scena inserta aliquid morae et tardidatis procendenti fabulae inferri concedo.

Alcmenae persona, qualem poeta descripsit et depinxit, partim laude, partim vituperatione digna est. Placet quidem Alcmena, quae, quamvis senectute afflicta sit, Heraclidarum pericula ac labores subiit atque etiam se viva negat fore, ut supplices abducantur. Displicet autem eiusdem iracundia et crudelitas, quam in Eurystheum ostendit. Quidquid enim leges Atheniensium obstant, quae virum pugna captum interfici vetant, voluntasque regis, quidquid praeco dissuadet, valet odium iniuriarumque ulciscendarum cupiditas. Quae muliebris acerbitas, quamquam nos offendit, tamen aliquid excusationis habet. Veterum enim fuisse opinionem, malum malo esse compensandum, constat.[2]) Quid vero? Nonne Alcmena recte pieque fecit, quod Eurystheum, qui Herculem filium perpetuis laboribus vexaverat atque ipsi et nepotibus se praebuerat infestissimum, interfici iussit? (cf. v. 946—957.) Huc

[1]) Cf. Raumer, l. l. p. 417.

[2]) Cf. Heracl. v. 940, Herc. fur. 733, Orest. 1163, Ion. 1046 seq., Soph. Oed. Col. 265 seqq. 953, Phil. 1035 seqq. Aiax. 79.

autem accedit, quod poeta in Alcmenae, quae Atheniensium beneficia arrogantissime neglexit, moribus et ingenio describendis supplicum ingratos animos aperire voluerit.

Demophontis imagine haud facile ulla regis imago pulchrior cogitari potest. Liceat Firnhaberi verba (cf. l. l. p. 49) transcribere: „Demophon, inquit, in quo nihil apparet non ingenuum, non moderatum, non pudicum, rem absolvit verbis nihil nisi iustitiam, humanitatem, fidem, benevolentiam spirantibus.“ Triplex est causa, cur ille supplices ab Eurystheo defendat (cf. v. 236 seqq.): primum enim valet timor, ne Iovis sedes supplicibus abstrahendis violetur, deinde Herculis, quem Theseo patri cognatum et probatum fuisse cognovit (cf. v. 207 seqq.), meritorum memoria, denique vero ignaviae ignominiaeque cogitatio (cf. v. 246 καὶ τάδ' ἀγχόνης πέλας). Ceterum pro iustitia sua Eurystheo se ius recusaturum esse negat, si quid mali Heraclidae commiserint (cf. v. 251). Dialogo insequente (253—266) praeconis iuribus iura, minis minas opponens in suo perstat consilio Heraclidas tuendi. Quid? quod supplicibus ita favet, ut praeconis sanctitatis immemor Copreo vim attulisset, nisi chorus eum retinuisset (cf. v. 271). Ut vero ad Heraclidas adiuvandos paratissimum, ita vigilantem et industrium regem se praestat, quippe qui, quidquid ad defendendam patriam opus sit factu, paraturus sit (cf. v. 353—341). Subdebilitatus quidem oraculis virginem nobili genere ortam immolandam esse consentientibus, confirmatus tamen conscientia sui erga Heraclidas amoris ac studii, salutis spem non abiicit, sed Iolaum considerare iubet, quomodo sine damno civitatis sibi et Heraclidis consulat (cf. v. 420 seqq.). Idem vero, quum oblatam Iolai mortem ad Eurystheum placandum nihil proficere intelligat, in tantas difficultates delabitur, ut consilii inopem, plenum timoris se declaret (cf. v. 472):

— ἔγωγ' ἀμήχανος
χρησμῶν ἀκούσας εἰμὶ καὶ φόβου πλέως.

Hae angustiae oppprtuno Macariae interventu expediuntur. — Praeter Demophontem poeta Acamentem fratrem induxit mutam personam (cf. v. 119). Quod cur poeta ita instituerit, quum non intelligam, vide an, quae Pflugkius praef. p. 17 attulit, satis sint. Dicit enim: „Quum vetus illa et simplex ratio ac consuetudo tragoediae tertias partes fere regibus tribuisset, nec facile fieri posset, ut aut dividerentur inter duas personas quae unius essent, aut aliud fingeret poeta, quod ab antiqua fama vulgique opinione discreparet, Thesidas fratres simul regni munia obiisse: nihil sane relinquebatur, nisi ut alterum fratrem,

quamvis in scena ostentatum, ab actione tamen ipsa procul haberet et satellitum, quibus stipatus haud dubie introiit Demophon, agmini quasi ducem adiungeret.“

Copreus, Eurysthei praeco, ab Iolao μῖσος (cf. v. 52) vocatur; et revera iste ex petulantia, audacia, crudelitate totus conglutinatus esse videtur. Tantum enim abest, ut Iovis templum et aram, ad quam supplices confugerant, vereatur, ut illos vi abstrahere conetur (cf. v. 67). Choro tamen obsistente, idem verbis impudentissimis et arrogantissimis Demophontem eo adducere vult, ut sibi supplices tradat. Iuribus autem frustra simulatis additisque minis et conviciis ad astutiam decurrit, Athenarum salutem sibi cordi esse affirmans (v. 265):

οὐ βούλομαί σε πόλεμον Ἀργείοις ἔχειν.

Sed hoc quoque frustra. Iam denuo supplicibus manus imponere audet; quod facinus ne committat, a Demophonte impeditur. Denique priusquam abit, Atheniensibus ignem ferrumque rursus minitatur et Argivorum opes ostentat (cf. v. 274 seqq.)

στείχω· μιᾶς γὰρ χειρὸς ἀσθενὴς μάχη·
ἥξω δὲ πολλὴν Ἄρεος Ἀργείου λαβὼν
πάγχαλκον αἰχμὴν δεῦρο. μύριοι δέ με
μένουσι ἀσπιστῆρες Εὐρυσθεύς τ' ἄναξ
κ. τ. λ.

Eurystheus, superbissimus ille Herculis et Heraclidarum vexator, in scenam productus aliqua ex parte in nostram gratiam restituitur. Nam ille non solum tanta valet constantia, ut ne mortem destinatam quidem perhorrescat (cf. 983 seq., 1017, 1026: κτεῖν', οὐ παραιτοῦμαί σε.), sed etiam Heraclidis praestat tam grato animo, ut Atheniensibus, quod vitam sibi concesserint, faustum illud oraculum patefaciat (cf. 1026 seqq.). Denique Eurysthei crudelitatis vitium eo minuitur, quod ipse se nisi Iunone iubente Herculi eiusque liberis insidias parasse negat (cf. 986 seqq.)

Inferiorum personarum ingenia accurate descripta et ad naturam accommodata sunt. Famulus, qui Hyllum cum exercitu adesse renuntiat, Heraclidarum studiosissimus (cf. v. 630), de Iolai luctu sollicitus (cf. v. 633 seqq.), ad docendum (cf. v. 682) et ad iocandum (cf. v. 729 seqq.) valde propensus apparet. Servus autem Alcmenae, postquam uberiori sermone, sicut servorum mos est, pugnam victoriamque exposuit (cf. v. 799—867), satis consilii habet, ex laeto nuntio fructum percipiendi. Libertatis enim memor, quam Alcmena laeti nuntii pretium promisit (cf. v. 787), a domina sua petit, ut fidem datam exsolvat

(cf. v. 888). Praeco denique, qui Eurystheum captum adducit, Alcmenae eo praestat iustitia, quod regem trucidare nefas esse liberrime profitetur.

Chorum optimis Euripideis choris comparandum esse, nemo est, quin concedat. Chori enim verba non solum granditatem sublimitatemque spirant, sed etiam rebus, quae aguntur, accommodatissima coniunctissimaque sunt. Heraclidis penitus addictus ille Demophontem quoque movet, ut supplices tueatur (cf. v. 232 seq.). Iure suo fretus Coprei minas non pertimescit, sed quamvis pacis amantissimus vim propulsandam esse censet (cf. v. 353 seqq.). Idem Iolaum Macariae morte fractum erigit (cf. v. 608 seqq.), pugnae exspectatione suspensus deos invocat, ut hostem repellant (cf. 748 seqq.), ex victoriae autem nuntio summam laetitiam voluptatemque capit (cf. v. 892 seqq.). In extrema denique fabulae scena ad Alcmenae crudelitatem vituperandam insigni est iustitia.

His de fabulae arte expositis, si non pauca fuerunt, quae notaverimus, Euripidem docuisse Heraclidarum fabulam, quae vel maxime dulcis utilisque esset civibus suis, et hoc studio ductum ea, quae otiosos homines et in sola rerum cognitione occupatos delectarent, neglexisse, in memoriam revocemus necesse est. [1]) Tum vero in Heraclidas quoque cadunt haec Boeckhii verba (cf. de gr. trag. princ. c. XV.): „Videntur adeo multae veterum tragoediae, quae tempori inserviebant, certis occasionibus atque ad certum quempiam finem a poetis festinatae esse, ut proximis feriis docerentur, haud diu meditatae, sed negligentius elaboratae, id quod de Supplicibus et aliis apertum est.“

---

[1]) Cf. Hartung., Eur. rest. p. 313.